UNIVERSITÄTS
BIBLIOTHEK
WUPPERTAL

BERGISCHE
UNIVERSITÄT
WUPPERTAL

**Universitätsbibliothek Wuppertal**

# Danielis Chamieri Delphinatis Panstratiæ Catholicæ, sive Controversiarvm De Religione Adversvs Pontificios Corpvs.

Tomis quatuor distributum. : cum indicibvs necessariis.

De Sacramentis

**Chamier, Daniel**

**[Frankfurt], 1627**

Liber quintus, De baptismo

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-926

Visual Library

# LIBER QVINTVS.

# De BAPTISMO.

## Caput Primum.

### *DE BAPTISMI NOMINE, ET DEFINITIONE.*

PVRGATO Sacramentorum numero, duo ſuperſunt verè proprieque digna ſuo nomine: vtpote ſui proprij generis, ordiniſque, & diſtincti ab omnibus aliis Chriſtianis ceremoniis, quæ ſiue à Chriſto inſtitutæ, ſiue ab Apoſtolis vſurpatæ, ſiue à poſteris inductæ fuere. Ea duo ſunt, Baptiſmus, & Cœna Domini.

II. In quæ concurunt omnia, quæ libro primo communis conſenſus partium, communiſque ſenſus Patrum, ex diligenti Scripturæ obſeruatione poſuit eſſe Sacramentis naturalia, proindeque pertinentia ad eorum exactam definitionem. Nam & inſtitutionem habent illuſtrem, atque ex profeſſo; non autem coniecturis emendatam, aut vi extortam: & materiam corpoream, ac viſibilem, aquam, panem, vinum: quæ elementa per ſe non pertinent ad religionem; ſed ſunt ἐν τοῖς βιωτικοῖς: verum translata per eam inſtitutionem, in pietatis Chriſtianæ partem venerunt non exiguam. Habent additam promiſſionem gratiæ diuinæ, nempe remiſſionem peccatorum, & arctiſſimæ cum Chriſto vnionis. Quam gratiam ſignificando conficiunt, conficiendo ſignificant, atque obſignant, id eſt, Sacramentaliter efficiunt, atque applicant ſingulis ea Sacramenta accipientibus legitimè. Denique ſunt in Eccleſiæ vſu perpetuo, ex vi primæ ſuæ inſtitutionis; duratura ad extremum vſque diem mundi, cùm translata in ſuam patriam, cœlos, Eccleſia, ſignis, imaginibus, Sacramentis, ne verbi quidem prædicatione opus habebit: quoniam Deus futurus omnia in omnibus, actu exhibebit vtenda, quæcunque beneficia nunc pollicetur ſperanda, exſpectandaque.

III. De his duobus Sacramentis poſthac diſputandum nobis. Non potuit enim fieri, vt qui in tot tantiſque doctrinæ capitibus diſceſſerunt à Catholicis Papiſtæ, in eius doctrinæ appendicibus, non haberent pro regula ſuas imaginationes, quas pro traditionibus ſemel intruſas mordicus retinerent: maxime vt eſt ſuperſtitionis ingenium amans rerum externarum, ceremoniis hærens, iiſque abutens potentiſſime ad plebes dementandas, magnifica pompa, illuſtrique apparatu faciles capi. Hinc factum, vt vix vlla ſit pars alia Chriſtianitatis tam prolixe agitata, tam ſophiſtice diſputata, tam animoſe conteſtata; tam pertinaciter aſſerta, tam tyrannice denique imperata. Quo magis pios neceſſe eſt ſibi attendere, & quicquid erit armorum, virium, animi, huc conferre, in veritatis publicæ, indeque ſalutis priuatæ gratiam.

IV. Priorem locum ſibi Baptiſmus vendicat initationis primæ Sacramentum, à qua incipimus dici Chriſtiani: & vt loquitur Cyrillus Catecheſi prima, λαμβάνομεν ὄνομα καινόν, ὃ πρότερον οὐκ εἴχομεν, *aſſumimus nomen nouum, quod antea non habebamus.* vt pro Catechumenis fideles nuncupemur: συγκαταλεγόμεθα τῇ ἁγίᾳ καὶ λογικῇ τοῦ Χριστοῦ ποίμνῃ. εἰς τὰ δεξιὰ αὐτοῦ ἀφορισθησόμενοι, καὶ κληρονομοῦντες τὴν ἡτοιμασμένην ἡμῖν ζωήν, *Accenſemur ſancto rationalique Chriſti gregi, ſegregandi ad eius dexteram, & heredes futuri vitæ iam nobis paratæ.*

V. Nomen deductum ab aqua eius elemento, ſiue potius ab eius elementi vſu, qui aſſumptus in relationis, id eſt ſignificationis fundamentum. Nam cum ſit aquæ vſus in natura non vnus; puta ad bibendum, & lauandũ: priorem illum Chriſtus inſtitutor adhibere noluit, ſed iſtum poſteriorem qui Græcis, βαπτίζειν dicitur, vnde paronymum βάπτισμα, ſiue βαπτισμός, qui ſoni Latinis etiam retenti: addita etiam flexione alia Græcis incognita dictum eſt Baptiſmum. Lauacrum voce Latina, raro, nec puto, non adhibito aliquo epitheto, indice proprii vſus: quia videlicet nunquam obtineri potuerit, vt eſſet vocabulum huic proprie affectum rei. Eodem iure vſurpatum baptizãdi verbũ, pro quo Tertullianus dixit interdum tinguere.

VI. Græci Theologi more linguæ laſciuientes, varietatiſque, atque copiæ elegantiam affectantes, ſynonyma, conquiſiuerunt plura: teſte Nazianzeno orat. 40. quæ in ſanctum Baptiſma. Δῶρον, inquit, καλοῦμεν, χάρισμα, βάπτισμα, χρῖσμα, φώτισμα, ἀφθαρσίας ἔνδυμα, λουτρὸν παλιγγενεσίας, σφραγῖδα. *Donum appellamus, beneficium merſionem, vnguentum, illuminationẽ, immortalitatis indumentum, lauacrum regenerationis ſignaculum.* Cauſam præmiſerat πολυωνυμίας, *Siue id nobis ob miram quandam rei lætitiam accidat: fit enim fere vt quia rem aliquam impenſiſſime amant, nomina quoque ipſa libenter vſurpent: ſiue quod multiplex huius beneficii vtilitas, multas quoque appellationes nobis pepererit.* Subiiciebat etiam nominum explicationem. Donum, quia his detur, qui nihil prorſus contulerint: beneficium, quia etiam debentibus: merſionem, quia peccatum in aqua ſepeliatur: vnguentum, quia ſacrum & regium: illuminationem, propter ſplendorem, ac claritatem, indumentum, quod ignominiæ ſit velamẽ, lauacrum, quod abluat: ſigillum, quia conſeruatio ſit, ac dominationis ſignificatio. Veruntamen excepto Baptiſmo, hæc non tam nomina ſunt, quam orationis flores: in quibus photiſma ſolennius; vnde & πεφωτισμένοι recens baptizati.

VII. De definitione, nulla contentio nobis aduerſus Papiſtas. Bellarminus aſſignauit ex Catechiſmo Romano, *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ.* Rectè: contextam ex ſcripturæ verbis; quæ optima ratio docendi Eccleſiam. Itaque vtinam ſeſe in reliquis omnibus tam religioſe gererent ij, quibuſcum nos ſemper conflictari oportet, eam vnicam ob cauſam, quòd à ſcripturæ & verbis & re nimium quantum diſcedant.

VIII. Caluinus Inſtitutionis lib. 4. c. 15. dixit, *Baptiſmus eſt ſignum initiationis, quo in Eccleſiæ cooptamur ſocietatem, vt Chriſto inſiti inter filios Dei cenſeamur.* Hanc definitionem Bellarminus notat multis vitiis laborantem. Non explicare finem principalem, iuſtificare & regenerare. Conuenire Circuncisioni, ipſi etiam ſigno initiationis, apud Iudæos, cooptationiſque in Eccleſiam. Conuenire item verbo prædicato, per quod initiamur & cooptamur in Eccleſiam, & inſerimur Chriſto.

IX. Verum qui factum vt Caluinum roderet, potiùs quàm ſuos, quibus multis definitus Baptiſmus eſt imprudentius? Lombardo, diſt. 3. quarti, *Baptiſmus dicitur intinctio, id eſt ablutio corporis exterior, facta ſub forma verborum præſcripta.* Vbi neque elementum notatur, neque ſubiectum cui adhibetur; neque forma deſignatur, neque vllum effectum notatur. Non multo ſanius Altenſtaig, etſi prolixius, *Eſt lotio hominis viatoris non diſſentientis facta in aqua elemẽtari fluida, ab alio, ſimili er formam debitam cum intentione debita proferente.* Vbi habet expreſsè elementum, & ſubiectum, & miniſtrum, quæ deerant Lombardo: ſed neque formam, neque effectum vllum. Edmundus Augerius in Catechiſmo ἔστι δὴ τοῦτο μυστήριον, ἐν ᾧπερ ἁπλῶς καθάπερ κατὰ τὴν Χριστοῦ διάταξιν τὸ σῶμα ἔξωθεν καθαρίζεται, οὕτω δὴ καὶ ὁ νοῦς ἔσωθεν ἀποκαθαίρεται τῇ ἐξ οὐρανοῦ, *Eſt Sacramentum in quo planè ſicut ex Chriſti præcepto corpus aqua externè aſpergitur, ita mens cœleſti gratia internè emundatur.* Vbi nec materia propinqua benè aſſignatur aſperſio: nam quid immerſio faciet? Nec iuſtificatio, regeneratioque magis diſertè exprimitur, quàm apud Caluinum. Poſſem alia exempla colligere.

X. Verumtamen Caluinus primum non profitebatur exactam definitionem, & accuratam ad præſcriptum logicum: ſed notificationem (id vocabulum eſt Bonauenturæ explicantis illam Lombardi definitionem) ſiue deſcriptionem quæ ſatis eſſe poſſet ſuo inſtituto. Nam & plurimi Scholaſticorum, atque adeò Thomas ipſe, ſperauit poſſe Baptiſmi doctrinam explicare, cùm non definitionem tantùm, ſed ne deſcriptionem quidem dignatus eſſet præmittere: & in recentioribus Eckius, Suares, alij.

XI. Eſt verò falſum omitti quicquam eſſentiale. Nam iuſtificationem, & regenerationem; tum inſitio in Chriſtum, tum cenſus in filiis Dei non poteſt non ſignificare. Conuenire Circuncisioni conceſſerim libens. Nam verum eſt, eiuſdem rei vtrumque eſſe Sacramentum: diſtinctio autem in eo eſt, quòd indicetur vſus præſens, per *cooptamur, cenſemur:* quæ dici non poſſunt de Circunciſione, iam olim antiquata. Conuenire autem verbo prædicato falſum: nam etſi verum ſit per ipſum nos inſeri Chriſto, cooptarique in Eccleſiam, tamen falſum initiari, niſi quatenus formam conſtituit Baptiſmi. Et tamen ſi omnino conueniat, nihil nocet non definienti. Profectò nihil hìc erat tanti.

XII. Diſputabitur primùm de eſſentialibus Baptiſmi: pòſt de ritibus, qui præter eſſentiam.

---

## CAP. II.

### *De Baptiſmi materia & forma.*

I. ESſentialia erunt in materia & forma; in effectis, in perſonis. In materia quidem & forma magnus conſenſus, eximia quadam Dei prouidentia; qui in tanto corruptionum aceruo, ſuæ hoc gratiæ pignus primum conſeruatum voluit; vt ne prorſus periſſe videretur ex orbe Chriſtianiſmi nomen.

II. Aquam ergo materiam remotam, ſiue elementum: & ablutionem materiam propinquam, ſiue vſum elementi, conſtantes vtrique retinemus: aquam etiam ſimplicem, puram, elementarem, naturalem, fluidam: & deteſtamur hæreticorum temeritatem, auſam ſuo arbitrio, refigere Chriſti Domini inſtitutionem; & aquam aſpernari; ſiue ij Seleuciani, quos teſtatur Auguſtinus de hæreſibus c 49. Baptiſmum in aqua non accipere ſiue Pauliciani apud Euthymium in Panoplia: ſiue Hermas, & Iacobitæ apud Prateolum: ſiue Flagellantes apud Alphonſum de Caſtro.

III. Scripſit tamen Maldonatus in poſtremum Matthæi, *Audiui ego meis auribus Caluini miniſtrum ſimilia,* Seleuco & Hermiæ *dicentem, noſtramque ridentem, vt ille vocabat, ſimplicitatem, & ignorantiam, quod crederemus Baptiſmum neceſſariò debere aqua conſtare. Non enim, inquiebat, magis aqua quàm igne conſtare debet, cùm pluribus locis Chriſtus igne, quàm aqua baptizaturus dicatur. Sic iſti boni doctores ſcripturam interpretantur.*

IV. Sed hæc calumnia eſt; & quidem impudentiſſima. Bene, quòd teſtes non niſi ſuas aures laudauit. Quaſi non pridem norint omnes Ieſuitarum aures non minùs odio ſeruire, quàm conſcientiam. Et non æquè procliue ſit auribus auditum affingere, ac oculis viſum. Nihil eſt impoſtoribus inauſum, dum commodum. Verum tam effronti calumniæ perpetuam opponimus tanti viri profeſſionem; omnia ſcripta, in quibus ſi ſit quicquam

eo accedens, cauſam nō dicimus, quominus Maldonatus ſit vir bonus. Certe Papiſtas non eſt veritus Caluinus, ne tam liberè ſcriberet, quam diceret. Et qui veritatem amauit, profectò tam ſobrie loquutus eſt, quam ſcripſit: nec aliter ſenſit, quàm dixit.

V. Formam quoque non aliam admittimus, quam quæ deſignatur iſta Chriſti inſtitutione iubentis baptizare *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Itaque, quanquam nulla ſit in ipſo verborum ſono vis, ſed tota in rebus ſignificatis: tamen qui à ſolo Chriſto res habemus diſcere; conſultiſſimum putamus etiam, quam proxime fieri poterit, eius etiam ſonum retinere, & verba numerata. Itaque damnamus quicunque ſunt eam formam euertere conati, vt qui ſubſtituerunt τρεῖς ἀνάρχους, ἢ τρεῖς υἱοὺς, ἢ τρεῖς παρακλήτους, tres principio carentes, vel tres filios, vel tres paracletos, vt teſtatur Canon Apoſtolicus 48. & qui Ignotum patrem, veritatem matrem omnium, deſcendentem Ieſum, apud Irenæum libri 1. cap. 18. & qui, nomen Patris per Filium, in Spiritu Sancto, c. 35. ſiue quocunque illi aut nomine, aut hæreſi cenſeantur: quos nunc nihil intereſt ſigillatim exſequi.

VI. Cæterum in vſu elementi ab initio immerſionem fuiſſe totius corporis: quæ vis eſt τοῦ βαπτίζειν: vnde Ioannes baptizabat in flumine: deinde tamen mutatam in aſperſionem: incertum quando: aut vnde facto initio: niſi quod videntur tria millia vno die à paucis Apoſtolis non potuiſſe baptizari, ſi ſinguli merſi fuiſſent: nec vero carcerario intra carcerem fuiſſe ad manum tantum aquæ, quantum mergendo opus erat. Certe commodiorem aſperſionem vſus indicat: tum propter tempeſtatum incommoda, tum etiam propter pudorem: cuius gratia conſtat adhibitas olim Diaconiſſas mulieribus nudandis. Vnde Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 8. cap. 29. munus earum aſſignatur ἐξυπηρετεῖσθαι τοῖς διακόνοις ἐν τῷ βαπτίζεσθαι τὰς γυναῖκας διὰ τὸ εὐπρεπές, *miniſtrare Presbyteris dum baptizantur fœminæ propter decorem.* Nec propterea fuit alterata Sacramenta natura. Nam quia tota virtus aquæ eſt in ſignificādo per ablutionem: certe non intereſt quantum quiſque abluatur: quomodo in Euchariſtia quantum quiſque comedat. Eſt enim vnius partis ablutio eiuſdem naturæ cum totius ablutione. Itaque Catechiſmus Tridentinus, *Qui hoc Sacramento initiari debent vel in aquam merguntur, vel aqua in eos infunditur, vel aquæ aſperſione tinguntur. Ex his autem ritibus, quicunque ſeruetur, Bapti mum vere perſici credendum eſt. Aqua enim Baptiſmo adhibetur ad ſignificandam animæ ablutionem, quam efficit: quare Baptiſmus ab Apoſtolo lauacrū appellatus eſt. Ablutio autem non magis fit, cum aliquis aqua mergitur, quod diu à primis temporibus in Eccleſia obſeruatum animaduertimus, quam vel aquæ effuſione, quod nunc in frequenti vſu poſitum videmus, vel aſperſione, quemadmodum à Petro factum eſſe colligitur, cum vno die tria millia hominum ad fidei veritatem traduxit, & baptizauit.*

VII. Rurſus ablutio vel ſemel fit, vel tertio, Et conſtat olim plurimum in vſu fuiſſe trinam merſionem. Canon Apoſtolicus 50. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος μὴ τρία βαπτίσματα μιᾶς μυήσεως ἐπιτελέσῃ, ἀλλ' ἓν βάπτισμα τὸ εἰς τὸν τοῦ κυρίου διδόμενον, καθαιρείσθω, *Si quis Epiſcopus aut Presbyter non tres merſiones vnius initiationis fecerit, ſed vnam in mortem Domini collatam, deponatur.* Explicat Zonaras, τρεῖς καταδύσεις ἐν μιᾷ μυήσει, ἤτοι ἐν ἑνὶ βαπτίσματι· ὥστε τὸν βαπτίζοντα ἑκάστῃ τῶν καταδύσεων ἓν τῆς ἁγίας τριάδος ἐπιλέγειν ὄνομα, *tres immerſiones in vna initiatione, id eſt in vno Baptiſmate: ita vt qui baptizat ad quamq; immerſionem vnum Sacroſanctæ Trinitatis nomen proferat.*

VIII. Sed dura definitio eſt, & procul à Spiritu Apoſtolico: niſi fortè non tam vna notabatur merſio, quàm forma mutata improbabatur, repoſita commemoratione mortis pro inuocatione Trinitatis. Quod tamen non patitur interpretatio Zonaræ. τὸ γὰρ ἅπαξ καταδύειν τὸν βαπτιζόμενον εἰς τὴν ἱερὰν κολυμβήθραν, καὶ εἰς τὸν θάνατον τοῦ κυρίου τὴν μίαν ἐπιφημίζειν κατάδυσιν, ἀσεβές ἐστι. *Nam ſemel eum qui baptizatur in ſacrum lauacrum mergere, & in mortem Domini vnam celebrare immerſionem impium eſt.* Enimverò trinam merſionem ſi iudicaſſet Spiritus Sanctus adeò præciſe neceſſariam, quis putet omiſſurum fuiſſe in inſtitutione? aut alibi ſaltem non fuiſſe indicaturum? Certè Tertullianus de corona militis c. 3. & Baſilius c. 27. de Spiritu, referunt inter ea quæ merè pertinent ad traditionem.

IX. Quare longè prudentior Gregorius primus Epiſt. 41. libr. 1. *De trina merſione Baptiſmatis, nihil reſponderi verius poteſt, quàm ipſi ſenſiſtis: quia in vna fide nihil officit Sanctæ Eccleſiæ conſuetudo diuerſa. Nos autem quòd tertio mergimus, triduanæ ſepulturæ Sacramenta ſignauimus: vt tum tertiò infans ab aquis educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur. Quòd ſi quis fortè etiam pro ſummæ Trinitatis veneratione exiſtimet fieri, neq; ad hoc aliquid obſtitit baptizando ſemel in aquis mergere: Quia dum in tribus, vna ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt, infantem in Baptiſmo vel ter vel ſemel immergere, quando & in tribus merſionibus perſonarum Trinitas, & in vna poteſt diuinitatis ſingularitas deſignari. Sed quia nunc hucuſque ab hæreticis infans in Baptiſmate tertiò mergebatur, fiendum apud nos eſſe non cenſeo; ne dum merſiones numerant, diuinitatem diuidant.*

X. In quibus Gregorij verbis multa ſunt notatu digna. Primò, eum ritum à conſuetudine eſſe: non igitur à neceſſitate Baptiſmi. Secundò, in Eccleſia conſuetudines eſſe diuerſas, imò oppoſitas, nihil obeſſe fidei; vt ſcilicet, ieiunandi, & prandendi eodem ſabbatho. Tertiò, conſuetudines etiam receptas, & inueteratas mutari poſſe, & abrogari: nam & hanc putauit eſſe mutandam. Quartò, in conſuetudinibus regnare rationes non neceſſarias, ſed tantùm probabiles; ideoque vltro citroq; verti faciles: vt in hac merſione, trina quidem ſignificari Trinitatem perſonarum, vna verò vnitatem eſſentiæ, vtramque æquè neceſſariam creditu. Quintò vnius eiuſdemque obſeruationis poſſe ad placitum ſignificationes deſcribi: ſic trinam merſionem aliis Trinitatem intimare, aliis triduanam mortem inculcare: vnam autem, aliis eſſentiam vnam ingerere; aliis verò, vt habes in Canone Apoſtolico vnam mortem. Sextò, poſſe eaſdem obſeruationes & fidei ſeruire; & aduerſus fidem torqueri: ſic trinam merſionem Catholicis tres perſonas, Arianis tres Deitates fuiſſe: nec dubitem Sabellianis eſſe potuiſſe vnius eſſentiæ triplex nomen.

XI. Quid inde? Nimirum qui ſibi optimè conſultum velit, qui Eccleſiæ: ne indulgeto vanis curioſitatibus, aut ſibi quiſquam iuris tribuito in ea quæ ſibi Deus eximia eſſe voluit; in quibus inſtitutionem eſſe oportet. Inſtitutum Baptiſma eſt à Chriſto, vt remiſſionem peccatorum ſignet. Quid tu mihi Trinitatem in eo pingere ſatagis? Neceſſarium certè dogma: altiſſimum myſterium; perpetuoque inculcandum: ſed ſic, non bene: quia neque trinum quicquam, exprimit vnitatem: neque vnum Trinitatem: atqui & Trinitatem nunquam ſine vnitate, neque vnitatem ſine Trinitate oportet inculcari, aut certè malè doceri. Aliter ergo neceſſe eſt. Nulla, inquam, imagine, nulla ſimilitudine, nullo typo. quia nimirum nulla dari queat imago, nulla ſimilitudo, nullus typus non fallax: non aptior in errorem, quàm conſtantior in veritatem.

XII. Nos igitur, quanquam nolimus contentioſe diſputare, & facilè dicamus cum Catechiſmo Tridentino, *Vtrùm vnica, an trina ablutio fiat, nihil referre exiſtimandum eſt.* Ingenuè tamen profitemur vnam ſiue merſionem ſiue aſperſionem, magis amari: quia ſimpliciorem, quia ſecuriorem; quia denique, vt ingenuè loquar, minùs ſophiſticam: & Papiſtas laudamus conſentientes: parati Græcos tolerare, dum ne clamitent ſuum illud, Zonaras ἀσεβὲς; Balſamo περιφανῶς ἀσεβοῦντα, *apertè impium*; denique Canon Apoſtolicus, καθαιρείσθω.

XIII. In forma leuiculum exiſtimamus diſcrimen Latinorum, & Græcorum. Dicunt iſti, *Baptizetur ſeruus Dei*: dicunt illi, *Ego te baptizo* Profectò præter exilem ſonum nihil intereſt, cuius in pietatis negotio momentum nullum, dum res eadem maneat. Tantùm ratio habenda ordinis & ædificationis. Sicut enim inter Latinos Græca non adhibenda vocabula: aut apud Græcos Latina: ſic neque facilè recedendum ab vſitata formula. Itaque teſtamur nos ſi in Græcia eſſemus, Græco more baptizaturos: nec facilè paſſuros Græcum quenquam apud nos ſuum morem retinere: Latinum tamen videri ἐμφαντικώτερον, & magis ex dignitate miniſterij: ſed non eſſe legitimam cauſam aut turbandæ Eccleſiaſticæ politiæ; aut ſcrupuli iniiciendi cuiuſquam conſcientiæ.

XIV. Quare potuit Bellarminus molliùs, imò cautiùs loqui, quàm cùm dixit non tantùm veram eſſe formulam Latinam: ſed etiam neceſſariam: vt inde refricaret controuerſiam, de traditionibus. Nam neque illa neceſſitas vllo conſtat argumento: neque nos traditiones omnino omnes aut tollimus; aut impugnamus, ſed eas tantum, quibus noua doctrinæ capita ingeruntur, & præter Scripturam, nam quæ ordinem ſpectant duntaxat, vt non admittimus temere, ita non odimus promiſcuè. Concedimus ergo non poſſe ex Scripturis definiri, vtra potiùs ſit vtendum formula, ſed addimus otioſe obiici ab iis, qui aut penitus neſciant, quid quæratur in diſputatione de traditionibus; aut aliorum ſupina ignorantia abuti ſolent in præiudicium veritatis.

---

## CAP. III.

### *Calumnia Papiſtarum de effectis Baptiſmi.*

I. HActenus conſenſus fuit Catholicorum & Papiſtarum, deinceps pugnæ ferme perpetuæ. Ad effecta Baptiſmi primùm efficacia pertinet, pòſt neceſſitas, quarum neutra vtrinque eadem docetur.

II. De efficacia diſputarunt noſtri, Caluinus Inſtitut. lib. 4. cap. 15. Beza quæſtionum & reſponſionum parte altera. Valentinus Hellopæus de tota re Sacramentaria art. 2. Muſculus Locis Communibus. Bullingerus Decadis 5. ſermone 8.

III. Aduerſarij, Roffenſis contra Lutheri art. 2. Lindanus libr. 4. Panopliæ cap. 17. & ſeqq. Tapperus art. 2. Petrus Auratus Paradoxis 8. & 9. Alfonſus de Caſtro libro 3. hæreſi 11. de Baptiſmo. Lorichius hæreſi 6. de Baptiſmo. Ioannes Arboreus Theoſophiæ lib. 2. cap. 7. & 13. Croquetius Catecheſi 107. & 108. Slotanus contra Vuelſium art. 25. Tiletanus defenſionis Tridentinæ parte altera de Baptiſmo. Horantius libri 7. c. 3. Klingius libri 4. c. 6. Dominicus Soto in 4. diſtinct. 6. q. 1. Panigarolla lectionis 7. part. 2. Bellarminus de Baptiſmo c. 12. & deinceps. Gregor. de Valentia Comment. 4. diſp. 4. q. 4. Suares de Sacramentis diſp. 26. & 28. & 29. Vaſques in 3. Thomæ diſp. 156.

IV. Iſti partim calumniantur Catholicis, partim de re diſputant verè controuerſa. Hæretici noſtri temporis (inquit Vaſques, eos omnes intelligens qui cum hæreſi Papiſtarum nihil ſibi voluerunt eſſe commune) non ſolùm errant verum effectum Baptiſmi denegantes, ſed etiam plures alios illi tribuentes. Hos ille numerat poſt Bellarminum, imò vterque poſt Concilium Tridentinum, in quo ſinguli ſingulis anathematis damnati ſunt. Primus effectus, inquit Bellarminus, baptizatum non poſſe damnari etiam ſi velit, niſi nolit credere. At Vaſques vaſtiùs: homines peccati expertes & incapaces reddi: vel certè licet peccent, damnari non poſſe, ſi ab Eccleſia Catholica non diſcedant: & vtrumque à Caluino aſſertum. Secundus effectus, virtute illius hominem liberari ab obligatione legis Dei, Bellarminus dixit ab obedientia. Tertius liberari ab obligatione & vinculo legis Eccleſiaſticæ; Bellarminus dixit, ab humanarum legum obſeruatione. Quartus, fieri irrita vota omnia baptizati.

V. Dicam de ſingulis ordine. De primo Tridentini dixerant ſeſſio. 7. canone 6. de Baptiſmo, *Si quis dixerit baptizatum non poſſe, etiam ſi velit, gratiam amittere, quantumcunque peccet, niſi nolit credere, anathema ſit.* Caluinus in Antidoto reſpondit, *Paradoxum quod damnant, nos quoq; repudiamus, vel hanc vnam ob cauſam, quòd fidei vitam extinguit.* Senſus eſt: fidem non imaginandam eſſe mortuam, ſed viuam, vt ſit vera: alioquin eſſe laruam fidei. Fidem viuam eam eſſe quæ ſe exſerat per opera, ſiue vt loqui amat Auguſtinus, quæ ſit efficax per caritatem: Itaque, qui dicat fidelem credere, quantumcunque peccet, eundem à fide vitam ſeparare, ideoque abſurdè loqui; κλώθειν ἀσύγκλωστα. Caluinus ergo procul à ſe remouebat huius ſiue dicti, ſiue opinionis ſuſcipionem.

VI. Vide nunc Papiſtarum nequitiam. Audent aduerſus eum argumentis agere: quaſi ſoleret fidem ſuam diſſimulare; is qui ſua in loquendo libertate, inque diſputando vehementia regnum concuſſit Papiſticum: Docuiſſe igitur, non poſſe verè baptizatum peccare. Argumentum; quoniam in Antidoto 7. canonis 7. ſeſſionis Tridentinæ, de Baptiſmo, docuerit, Baptiſmo tanquam Dei chirographo nos certiores reddi de perpetua adoptionis gratia: & Inſtitutionis libr. 2. c. 2. § 11. & 12. veram fidem ſemel habitam amitti non poſſe, eſſeque donum electorum proprium.

VII. Ca-

VII. Calumnia eſt manifeſta. Nam profectò agnouit Caluinus Petrum verè baptizatum, & tamen negátne peccaſſe? Imò in Harmonia Euangelica, ad Matthæi 26. *Fœda*, inquit, *& turpis perfidia damnatur*. Poſtea, *Petrus poſtquam ſimplici abnegatione elabi non potuit, interpoſito iureiurando crimen duplicat*. Et inde generalius, *Hæc iuſta Dei vindicta eſt: ex quo nos Spiritus S auxilio priuamur, violentum in nos imperium tandem Satanæ permittere, vt ſibi prorſus addictos & mancipatos, huc illuc proijciat. Id verò præcipuè in fidei abiuratione contingit*. Iterum, *Hoc quoque obſeruandum eſt. quòd vno ferè temporis puncto ter Petrus defecerit: quia hinc apparet, quam lubrici & procliues ſimus ad cadendum quoties nos Satan impellit. Certè nullus erit cadendi modus niſi Dominus extenta manu nos retineat. Poſtquam in Petro extinctus fuit gratiæ Spiritus vigor, vt quiſq; in eum incidens de Chriſto rogaſſet, ad centum vel mille abnegationes fuiſſet paratus*. Quid? quòd in hunc modum precantes docuit ſuam corruptionem & ſentire & apud Deum profiteri? *Agnoſcimus & ingenuè profitemur apud ſanctam maieſtatem tuam, nos miſeros peccatores eſſe, conceptos & natos in iniquitate & prauitate: ad nequitiam procliues, ad omne autem bonum opus inutiles: noſq; vt vitioſi ſumus, nullum tranſgrediendi ſancta tua mandata finem facere. Quo fit vt exitium à iuſto tuo iudicio nobis acceſſamus*. Quid amplius? Mendaces eſſe oportet memores. Aliàs enim Caluinum reprehendunt aſſerentem omnia etiam optima opera eſſe peccata, & quidem mortalia, eamque nos oportuit controuerſiam diſputare.

VIII. Fieri non poteſt vt qui ita docuit, ita ſenſit; idem negauerit non poſſe peccari poſt Baptiſmum. Sed docuit nos in Baptiſmo certos fieri perpetuæ adoptionis. Ita eſt ſanè, nec poteſt abſque eo tradi vera Baptiſmi vis & efficacia. Sed quid hoc inſaniæ eſt, cùm concludis: Ergo non poteſt peccari? Quaſi nunquam peccare poſſint, qui in perpetuum ſunt adoptati. Tam bene ſcilicet norunt Papiſtæ; aut quid ſit adoptio, aut quid peccatum! Eadem ratio eſt fidei nunquam amittendæ, fidei electorum propriæ. Hæc enim negatur obſtare, quominus peccetur, ſed tantum quominus in damnationem eatur, Deo ſcilicet etiam grauiſſima peccata condonante, vt Dauidi, vt Petro.

IX. Pergo ad ſecundum caput. Liberari hominem obligatione legis Dei ſiue obedientia. Explicant geminum ſenſum, vel vt non teneantur baptizati præſtare legem Dei; nec peccare ſi tranſgrediantur, vel ſecundum legis præſcriptum nec accuſari, nec damnari; ne ſeruari quidem. Illud prius, viri ſcilicet non mali, confitentur à nobis non doceri, ſed hoc poſterius. Hæc verò diſtinctio tolerari queat ſanè in Vaſque, qui obligationem dixit; quæ comprehendat maledictionem additam tranſgredientibus. Sed Bellarminus profectò purgari non poteſt, qui obedientiam ſubſtituit, quæ diuerſa eſt à condemnatione. Ita cùm ſit certum aliquo ſaltem modo liberari baptizatum ab obligatione legis, nempe vt non debeat pœnas peccatorum, propter remiſſionem: at certè nullo modo verum liberari ab obedientia: neque id vnquam aut ſenſit, aut dixit ſiue Caluinus, ſiue alius quiſquam noſtrûm.

X. Contrà potiùs in Baptiſmo liturgia noſtra, quam Caluinus conſcripſit, hanc habes diſertam ſtipulationem, qua cauetur ſuſceptorum diligentiæ in inſtituendo infante, *Spondetis vos daturos operam, vt omni hac diſciplina* (fidei articulos intelligit) *inſtruatur, ac generatim omnibus his quæ ſcriptis diuinis continentur, id eſt tum Veteri tum Nouo Teſtamento: vt ea amplectatur & audiat tanquam verbum ſermonemq; Dei certiſſimum cœlitus demiſſum. Eum præterea hortabimini, vt ad eam normam & regulam vitam ſuã inſtituat, quam nobis Deus in lege ſua præſcripſit: cuius hæc ſumma ſunt capita; primum vt Deum toto pectore, animo, & viribus, tum præterea proximum noſtrum non ſecus quam noſmet ipſos diligamus*. Itáne? Per Baptiſmum liberari ab obedientia legis, eum qui tamen inter baptizandum ſolemni formula obligetur ad formulam legis? Quodnam hoc monſtrum eſt calumniatorum?

XI. Sed verum eſt nos dicere, in Baptiſmo liberari fideles ab obligatione legis: quatenus ea ſignificat præſtitutam ſalutis, damnationiſve regulam. Quenquámne hoc negare Chriſtianorum? Quenquam impugnare Catholicorum? Non poteſt. Nam neque Catholici ſunt qui impugnant, neq; Chriſtiani qui negant. Etenim legis præſcriptum, *Maledictus qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis*. Itaque ſubiectum obligationi legis omnino oportet, vel permanſiſſe in iis omnibus, vel maledictum eſſe. An in baptizatis neutrum verum. Non permanſerunt in omnibus: nam quorſum confiterentur peccata? Imò quorſum peterent remitti ſibi peccata? Non etiam maledicti ſunt. Nam remiſſio eſſet inutilis & illuſoria: imò perfida. Tum autem Paulus ad Galatas 3. *Chriſtus nos redemit ab exſecratione legis, dum pro nobis factus eſt exſecratio*. Verùm hæc controuerſia fuit aliàs diſputata: & eam Bellarminus ipſe agnoſcit alio pertinere.

XII. In tertio capite; dixerat Bellarminus liberationem ab humanarum legum obſeruatione: ſed poſtea contraxit ad leges Eccleſiaſticas, vt Vaſques. Brutum fulmen Tridenti ſic crepuerat. *Si quis dixerit baptizatos liberos eſſe ab omnibus Sanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta, vel tradita ſunt, ita vt ea obſeruare non teneantur, niſi ſe ſua ſponte illis ſubmittere voluerint, anathema ſit*. Caluinus reſpondit, *Vnus eſt Legiſlator, inquit Iacobus, qui poteſt ſeruare & perdere. Vbi falſum hoc eſſe demonſtrauerint, non recuſabimus, quin ſuis nos legibus adſtringant. Sed quandiu hoc conſtabit, Deum regendas verbo ſuo piorum conſcientias ſumpſiſſe, atque hoc imperium, vbiq; vindicare: ſtatuere tutò ſimul licebit, non eſſe Sanctam Eccleſiam illam quæ illaqueare conſcientias tentabit aliis legibus*.

XIII. Hæc ſunt attendenda. Primum enim; quas Bellarminus, & Vaſques appellant ἁπλῶς leges Eccleſiaſticas; Concilium Tridentium explicat ſcriptas, vel traditas. Vnde fuit facilè coniicere Sanctam Eccleſiam nominari pro Eccleſia Papiſtica: itaque iudicari infinitam illam tyrannidem quiduis imperandi, prohibendive; quaſi ab eius arbitrio penderent & damnatio, & damnationis cauſæ. Secundò Caluinus reſpondit in eum ſenſum, *Suis*, aiebat, *nos legibus adſtringant*: nimirum non diſcedens ab ea hypotheſi: vnde concluſio; non eſſe veram Eccleſiam, quæ ſic illaqueare conetur conſcientias. At verò tertiò, noſtri ſophiſtæ theſin potius ponunt de legibus Eccleſiaſticis, aptam calumniæ, quaſi Caluinus promiſcuè refigeret omnes.

XIV. Sic nunc manifeſta res eſt. Nullam videlicet legem obligare, quæ non ſit ab autoritate legitima. Aſt leges Eccleſiæ non ſcriptas, non eſſe ab autoritate legitima: ergo non obligare. Quæ argumentatio non eſt peculiariter à Baptiſmo: ſed vniuerſaliter à natura totius religionis Chriſtianæ. Ad Baptiſmum eatenus ſpectat, quatenus per eum initiamur non cuiuis religioni, ſed tantum Chriſtianæ. Vt mirer quid in mentem venerit Papiſtis, vt congererent hoc caput in numerum effectorum Baptiſmi: niſi velint tam ſeriò ineptire, vt eant per ſingulas Chriſtianiſmi particulas, vt totidem enumerent effectus Baptiſmi.

XV. Cæterum rem ipſam Bellarminus & Vaſques agnoſcunt aliàs diſputandam; & locum illi quidem indicant de autoritate Romani Pontificis, quia videlicet nullam agnoſcant Eccleſiam, niſi quæ ex eius nutu pendeat abſolutè: at nos tractauimus partim in loco de traditionibus, partim etiam in libertate Chriſtiana; vbi, quod ſatis, explicauimus vim legum Eccleſiaſticarum: atque adeò locum ipſum illum Iacobi, quem nunc à Caluino oppoſitum anathemati Tridentino, Bellarminus amouere conatur.

XVI. De Votis quartum caput erat. De quibus ſic reſpondebat Caluinus, *Principio illud conſtituendum erat, quænam ſint vota legitima. Quo poſito nihil aut parum reſtaret controuerſiæ. Nunc autem vota, quorum laqueis induuntur, vel potiùs ſtrangulantur miſeræ animæ, non modò ſuperſtitione plena ſunt, ſed etiam à recta Chriſtianæ viæ regula prorſus diſſident. Quare vt ratum ſit votum aliquod, ad Baptiſmi profeſſionem exigi oportet. Quod ſi fiat, nullum ex votis in Papatu hodie vſitatis non erit irritum*. Non docuit ergo cuncta vota fieri irrita per Baptiſmum, quod abſque diſcrimine pronuntiatum Sophiſtis: ſed docuit diſtinguenda legitima ab illegitimis: & vtraque metienda ex profeſſione, quæ fit in Baptiſmo; per quam nimirum ita nos obligamus religioni; vt abrenuntiemus Sathanæ, mundo, & operibus pompiſque eorum. Legitima igitur nullo modo fieri irrita: ſed illegitima duntaxat. Peculiariter autem in illegitimis eſſe illa Papiſtica, merum ſcilicet iecur eius profeſſionis, & perfectionis ſummum gradum. Sed hæc materia ſuo proprio titulo fuit diſcuſſa.

## Cap. IV.

*Status controuerſiæ de effectis Baptiſmi.*

I. PRoprius effectus Baptiſmi eſt peccatorum remiſſio; ea enim ſignificatur, per aquam abluentem corpus. Itaque Confeſſionis Gallicæ art. 39. *Dicimus elementum aquæ, quantumuis caducum nobis nihilominus verè teſtificari interiorem animi noſtri ablutionem in ſanguine Ieſu Chriſti per Sancti Spiritus efficaciam*. Et verò ſic Scriptura docet: Act. 2. *Reſipiſcite, & baptizetur vnuſquiſq; veſtrum in nomen Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum*. Marci 1. *Baptizabat Ioannes in deſerto, & prædicabat Baptiſmum reſipiſcentiæ ad remiſſionem peccatorum*. Sed & Catechiſmus Tridentinus, *Aqua effectum Baptiſmi maximè ſignificat: vt enim aqua ſordes abluit, ita Baptiſmi vim, atq; efficientiam, quo peccatorum maculæ eluuntur, optimè demonſtrat*. Colonienſis in Enchiridio, *Ideo autem per aquam celebratur, vt ſicut aqua corporis ſordes abluit, ita credamus & nos per Baptiſmum ab omni peccato ſpiritualiter mundari, & innouari, & regenerari, vt quod incorporale eſt inuiſibiliter abluatur*.

II. Papiſtæ igitur conſentiunt. Habent enim ab Eugenio IV. definitum in Concilio Florentino, *Huius Sacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur*. Et à Catechiſmo Tridentino, *Hoc primum tradere oportet, peccatum ſiue à primis parentibus origine contractum, ſiue à nobis ipſis commiſſum, quamuis etiam adeo nefarium ſit, vt ne cogitari quidem poſſe videatur, admirabili huius Sacramenti virtute remitti & condonari*.

III. Huius condonationis nomine, etiam pœnas contineri Papiſtæ conſentiunt. Nam has audiuimus nominatas ab Eugenio IV. Sed & Catechiſmus Tridentinus pronuntiauit, *In Baptiſmo non ſolum peccata remittuntur, ſed peccatorum etiam & ſcelerum pœnæ omnes à Deo benigne condonantur*. Vbi tamen gemina exceptio eſſe debet. Prima, pœnas eſſe peccato debitas vel ſecundum legem Dei, vel ſecundum humanæ politiæ decreta; Has nullas condonari in Baptiſmo expreſſit idem Catechiſmus, *Quanquam*, inquit, *in Baptiſmo pœnas peccatorum condonari exploratum eſſe debet: ab eo tamen pœnarum genere, quæ ciuilibus iudiciis ob graue aliquod ſcelus perſoluendæ ſunt, nemo liberatur, ita vt, qui morte dignus ſit, per Baptiſmum à pœna, quæ legibus conſtituta eſt, eripiatur*. Rectè: quia diſtinctas Deus eſſe voluit iuriſdictiones ſpiritualem & temporalem.

IV. Altera exceptio eſt; pœnalitatum: quo nomine comprehendunt infirmitates omnes, quas ex occaſione peccati, experimur in hac vita. Nam quæ huius ſunt generis, eas tolli per Baptiſmum negant: remanere tamen notant non ſub ratione pœnæ: effici tamen eius Baptiſmi virtute vt olim etiam tollendæ prorſus ſperentur. Indicauit Catechiſmus Tridentinus, *Efficit præterea Baptiſmus poſt huius vitæ curriculum, pœnarum omnium quæ originale peccatum conſequuntur liberationem*. Explicauit Vaſques diſtinguens æternam pœnã à temporaria. Præſtat verba recenſere capitis 3 *Quod ſpectat ad remiſſionem pœnæ, ſi ſermo ſit de æterna tã ſenſus, quam damni, eodem modo certum eſt, hoc ſacramento ſemper remitti, ſicut culpam, hæc enim mutuo ſe conſequuntur: ſi vero de temporaria ſit quæſtio, quæ poſt iuſtificationem ſupereſſe ſolet, vt loquimur de pœnalitibus quæ conſequuntur peccatum originale, per hoc tantum, quod natura noſtra ſibi relinquatur abſq; dono iuſtitiæ originalis, quales ſunt, fames, ſitis, & alia, id genus: & certũ etiam eſt, remiſſo peccato originali non remitti, neq; tolli hæc mala, id quod omnes experimur: ea tamen non manere ſub ratione pœnæ, quia ſublata culpa originali, nulla dignitas ad illa mala reſidua eſſe poteſt: at ſi ſermo ſit de pœna ſenſus temporali debita peccatis actionis, quæ interdum poſt iuſtificationem reſtare ſolet, in hac vita, aut in purgatorio ſoluenda: definitum eſt ab eodem Eugenio IV. in Concilio Florentino totam illam per Sacramentum Baptiſmi remitti*.

V. In iis verbis quædam ſunt, quæ Papiſtica ſomnia redolent, alias diſputata: ſed iis nunc diſſimulatis: in rem præcipuam conſenſus eſt. Nempe per Baptiſmum remitti omnem culpam omnium peccatorum: ideoque etiam tolli omnem pœnam: abſolute quidem, quæcunque pertinet ad ſtatum hominis poſt hanc vitam: ſed eam quæ in huius vitæ terminis circumcluditur; non abſolute: ſed tantum ſub ratione pœnæ; qua de re etiam alias plenius fuit dicendum.

VI. His poſitis conſenſionis articulis, duo deinceps diſſenſionis capita ſunt, pertinentia ad illorum explicationem. Primum de effectu præſenti,

alterum

alterum de futuro; Præſentem effectum dico, qui aſſignandus ſit huic Sacramento in ipſo celebrationis legitimæ momento: futurum verò, qui poſt eam celebrationem.

VII. De præſenti ſic ſentiunt, vt non tantùm remitti dicant, ſed etiam tolli peccata omnia, & quicquid habet peccati rationem. Tridentinum Concilium ſeſſione 5. de peccato originali, anathemat. 5. *Si quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet: ſed illud dicit tantùm radi, aut non imputari; anathema ſit.* Non videtur hac phraſi ſatisfactum Lindano: adeò vrget, & phraſes cumulat, quaſi ne ipſe quidem ſibi ſatisfaciens, *Externo aquæ ſigno adhibito, ita animum ſordibus abluit, atque reatibus ſemel expiat, nihil vt maneat ſordium, nihil vt ſuperſit reatuum. Quinimò baptizatorum pectora omnibus omnino ſiue originalis illius contagij, ſiue additorum etiam illi delictorum, tum à næuis deterſa, nitida, ac emundata, tum è maculis quoq; emaculata prorſus, atq; pura puta Spiritus Sancti ſanctiſſima efficit templa, omni ornamentorum genere inſtructiſſima, pretioſiſſimoq; virtutum prorſus omnium, cœleſtiumq; illarum dotium mundo cumulatiſſima ſimul & decoratiſſima.* Mirus artifex intendendæ in vtramque partem orationis, ſiue extollere opus ſit ſiue minuere pro præſenti commodo. Bellarminus breuiùs, nec tamen opinor, inefficaciùs, c. 13. *Baptiſmo reipſa tolli omnia peccata; ita vt non ſolùm non imputetur, ſed nec ſit quod imputari poſſit ad culpam.*

VIII. Noſtra ſententia, minus eſt verbis ampullata, ſed longè ſimplicior, & ſolidior. Reſtaurationis humanæ duas eſſe partes, interim dum exſpectatur ſalus plena, iuſtificationem, & ſanctificationem; quarum definitiones etſi aliàs expoſitas, nunc tamen intereſt repeti. Iuſtificationem igitur eſſe gratiam Dei, quæ noſtra remittens debita, & iuſtitiam alienam imputans, nempe Chriſti, liberat nos à metu pœnarum omnium, quatenus pœnæ ſunt: nimirum quia culpam tollat: hac autem ſublata, quod agnoſcunt etiam Papiſtæ, nulla ratio relinquitur pœnæ. Sanctificationem verò gratiam Dei, quæ ſuppoſita iuſtificatione, reapſe & intellectum noſtrum mutat, & voluntatem in bonum; adeò vt qui vitiis ſcatebamus, iidem virtutibus locum demus. Illam ſimul & ſemel dari partibus omnibus ſuis perfectam; vt ſit verum fundamentum dilectionis diuinæ. Hanc verò per gradus, vt promouendo paulatim feratur ad ſummum; quò tamen nunquam ſit peruentura, niſi cùm rapti in cœlos participes futuri ſumus æternæ beatitatis.

IX. Vtrique huic parti adhibitam eſſe Sacramentum Baptiſmum, ſcilicet ſignificandæ, atque efficiendæ; quomodo aliàs diſputata eſt efficacitas Sacramentorum. Caluinus diſertè in Catechiſmo, *quæ eſt Baptiſmi ſignificatio? Ea duas partes habet. Nam ibi remiſſio peccatorum, deinde ſpiritualis regeneratio figuratur.* Paulo pòſt, *Sic figuram eſſe ſentio, vt ſimul annexa ſit veritas, Neque enim ſua nobis dona pollicendo nos Deus fruſtratur. Proinde & peccatorum veniam, & vitæ nouitatem offerri nobis in Baptiſmo, & recipi à nobis certum eſt.* Inſtitut. libri 4. cap. 15. §. 1. *Tria adfert fidei noſtræ Baptiſmus. Hoc primum eſt, quod nobis à Domino proponitur, vt ſymbolum ſit noſtræ purgationis ac documentum; vel (vt meliùs explicem, quod volo) inſtar ſignati cuiuſdam diplomatis, quo nobis confirmet peccata noſtra omnia ſic deleta, inducta, obliterata eſſe, ne vnquam in conſpectum ſuum veniant, ne commemorentur, ne imputentur.* Et §. 5. *Alterum etiam fructum adfert, quia noſtram in Chriſto mortificationem nobis oſtendit, & nouam in eo vitam. Si quidem, vt ait Apoſtolus, in mortem eius baptizati ſumus, conſepulti ipſi in mortem, vt in nouitate vitæ ambulemus. Quibus verbis non ad imitationem eius nos ſolùm exhortatur, ſed rem longè altiùs repetit; nempe quòd per Baptiſmum Chriſtus nos mortis ſuæ fecerit participes vt in eam inſeramur: & quemadmodum ſurculus ſubſtantiam alimentumq; deducit à radice cui inſitus eſt: ita qui Baptiſmum ea qua debent fide accipiunt, verè efficaciam mortis ſentiunt in mortificatione carnis ſuæ: ſimul etiam reſurrectionis in viuificatione Spiritus. Itaque primùm gratuita peccatorum venia & iuſtitiæ imputatio nobis promittitur, deinde Spiritus Sancti gratia, quæ nos in vitæ nouitatem reformet.* Et §. 6. *Poſtremo & hanc è Baptiſmo vtilitatem fides noſtra accipit, quòd certo nobis teſtificatur, non modò in mortem & vitam Chriſti nos inſitos eſſe: ſed ſic ipſi Chriſto vnitos, vt omnium eius bonorum participes ſimus.* Vide Hellopæum c. 2. art. 2. de tota re Sacramentaria. Bezam in Confeſſione maiore: & in altera parte quæſt.

X. Conſtat vtrinque conſentiri, in prius caput de iuſtificatione: nempe quoad culpam pœnamque omnium peccatorum, quam in Baptiſmo ſignificari, id eſt effici neutri negant. In altero itidem cap. hoc ſaltem vtrinque poni, Sanctificationem id eſt nouitatem vitæ conferri. Quid igitur controuerti? Nimirum huius Sanctificationis modulum, & menſuram. Nam Papiſtæ ſic eam definiunt, vt tolli prorſus velint quicquid eſt peccatum, non tantum qua pœnam infert, ſed etiam, qua ſignificat aliquid in voluntate oppoſitum legi diuinæ: vt nihil ſit, quod vel imputari alioquin poſſit in peccatum. At Catholici, credunt quicquid eſt ſanctificationis in tota fidelium militia imperfectum eſſe, itaque admixtum peccato. Baptizatis ergo ineſſe aliquid quòd non tantùm imputari poſſit in peccatum, ſed etiam ſit reapſe verum, veri nominis peccatum, tantùm ſublato reatu per condonationem, quæ illa eſt quam appellamus non imputationem.

XI. Hæc illa quæſtio eſt; quam agnoſcunt Bellarminus & Vaſques pertinere magnam partem tum ad aliam de iuſtificatione, tum ad eam de concupiſcentia, quæ ſunt à nobis etiam prolixè diſputata, in loco de ſanctificationis perfectione. Vt nihil nunc neceſſe ſit eandem telam retexere: tantum refutare, quæ hoc loco peculiaria ſperauit ſe Bellarminus habere.

---

## CAP. V.

### *Argumenta Papiſtica de præſenti effectu Baptiſmi.*

I. PRimum argumentum Bellarmini, à teſtimoniis Scripturæ in certas claſſes diſtributis. Quarum prima eorum quæ habent vocabula mundandi, lauandi, tollendi, delendi, auferendi, & ſimilia. Hæc, inquit, non poſſunt niſi ineptiſſimè exponi per non imputari. Non enim, quis rectè dicitur tollere ab alio ignorantiam, aut malitiam, quia ignoſcit illi, quod ignoranter, malitioſeve fecerit. Loca Scripturæ ſunt, Pſalmo 51. *Dele iniquitatem: Amplius laua me.* Micheæ 7. *Auferes iniquitatem.* Ioann. 1. *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Ad Epheſ. 5. *Mundans eum lauacro.* Argumentum ſic concipio. Nemo qui tantum non imputans peccatum, mundat, lauat, & reliqua. At Deus in Baptiſmo mundat, lauat, & cætera. Ergo Deus in Baptiſmo non tantum non imputat.

II. Reſpondeo, primò concluſionem non eſſe ad Theſim. Nemo enim noſtrum dixit in Baptiſmo nihil haberi præter non imputationem. Nam hæc pertinet ad iuſtificationem: præter quam agnoſcimus in Baptiſmo ſanctificationem, vt demonſtraui, etſi imperfectam. Quam ſi voluiſſent impugnare, dicendum erat. Nemo imperfectè ſanctificans, lauat, mundat, tollit peccata. At Deus in Baptiſmo lauat, mundat, tollit peccata: Ergo Deus in Baptiſmo non ſanctificat imperfectè. Ac tum maior eſſet manifeſtè falſa. Quia ſanctificatio perfecta, & imperfecta non genere differunt, ſed gradu duntaxat: quare vt illa, ſic iſta poteſt iiſdem phraſibus ſignificari: quemadmodum corpus non tantùm lauatur cùm integrum, ſed etiam cum per partes. Et ita Chriſtus agnouit, Ioannis 13. *Qui lotus eſt, non opus habet niſi vt pedes lauet.* Breuiter dico in Baptiſmo Deum facere vtrunque: primò non imputare, deinde etiam tollere peccata. Hoc oppugnent Sophiſtæ, aut taceant.

III. Secundò negatur etiam maior: nam non imputare peccatum, eſt tollere, lauare, mundare, delere, & ſimilia. Nam primò, hæc omnia ſunt metaphorica. Nihil autem obſtat, quominus metaphora ſumatur non à rei, ſed ab euentuum ſimilitudine. Quia videlicet cui non imputantur peccata, æquè liber eſt à ſupplicio, ac qui omnino nihil habet peccatorum. Sic Iacobi 2. *Qui offenderit in vno, factus eſt reus omnium*, non quòd idem qui fur, eo ipſo quòd furetur etiam blaſphemet, ſed quia æquè reus eſt legis violatæ; obnoxiuſque damnationi. Ad Galatas 3. Chriſtus factus κατάρα; quia eas pœnas luit, quas meriti erant οἱ κατάρατοι. Mille ſunt huiuſmodi.

IV. Deinde, Scriptura docuit: quæ pro eodem poſuit, non imputari peccata, & tolli. Pſalmo 32. *Beatus vir* נשוי־פשע *cuius ablatum eſt peccatum.* כסוי חטאה *cuius tectum peccatum: Beatus homo cui non imputat Iehoua iniquitatem.* Etenim tribus his phraſibus, vna res atque eadem deſcribitur. Quare neceſſe eſt idem eſſe auferre peccatum, tegere peccatum, non imputare peccatum.

V. Tertiò, delere metaphora eſt idipſum ſignificans. Non enim delere ex ipſo peccatore, ſicut delentur maculæ: ſed ex libro: quemadmodum æris alieni nomina delentur. Agnouit Lorinus in Pſalmum 50. *Non vult Dauid deleri nomen ſuum de libro viuentium, ſed iniquitatem de libro in quo omnes ſcribuntur, & omnia opera: ne Deus mala cognoſcat.* Et paulo antè, *Delendi verbum inciſum veluti in ære chirographum mortis, cum cauſa, quæ ſunt peccata, innuit, ſiue peccatum ſcriptum ſtylo ferreo, & vngue adamantino. Qui ſolus eſt autor ſententiæ, & cognitor cauſæ ſolus delet apices illos letales.* Enimverò quod addit id fieri, quando deſinunt eſſe; addidit de ſuo; non deſumpſit ex vi metaphoræ. Nam alioquin nemo ignorat deleri debitorum nomina, non tantum ſoluta, ſed etiam donata, id eſt non imputata.

VI. Altera claſſis eorum locorum eſt, qui dicunt maculas, aut inquinamenta, aut iniquitates. Cantici 4. *Tota pulcra es, amica mea, & macula non eſt in te.* Ioannis decimo tertio, *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* Ezechielis 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundamini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Ad Epheſ. c. 1. *Elegit nos vt eſſemus ſancti, & immaculati.* Ad Coloſſ. 1. *Reconciliauit vos in corpore eius per mortem exhibere vos ſanctos, & immaculatos, & irreprehenſibiles.* Aduerſarij, inquit, nolunt per Baptiſmum tolli peccatum, niſi quoad reatum, id eſt obligationem ad pœnam, manere autem peccati fœditatem, quæ erat cauſa reatus. Atqui macula, inquinamentum, iniquitas, non ſignificant reatum, ſed ipſam fœditatem.

VII. Reſpondeo primò, vim argumenti totam eſſe in calumnia; cùm negatur à nobis agnoſci peccatum ipſum in Baptiſmo tolli: quod contrà proteſtati ſumus. Itaque qui tolli maculas, inquinamenta, iniquitates probet, nobis non nocet. Nam cæterùm nulli illi loci docent perfectè tolli peccatum vno momento: ſed tantùm tolli. Quod fit etiam tum cùm ſenſim ac paulatim amouentur. Et quidem ita vt finis ſit in perfectionem. Nam & nos efficaciam Baptiſmi negamus reſtringendam ad vnum aſperſionis momentum, ſed in vniuerſam produci vitam, quæ controuerſia erit proxima.

VIII. Secundò, nulli loci loquuntur de Baptiſmo propriè, magis quàm generaliter de iuſtificatione, aut ſanctificatione: quarum etſi ſit Sacramentum in Baptiſmo, tamen neutra ad Baptiſmum ita pertinet, vt vltra eius ceremoniæ horam produci nequeat. Certè ad Epheſ. 1. & ad Coloſſenſes, non momentum indicatur vllum, ſed duntaxat finis electionis, reconciliationiſve. Qui autem dixit nos electos vt ſaluemur, non dicit ſtatim perfici, ſed tantum inchoari, paulatimque promoueri ſalutem. Phraſis enim finem denotat, non tempus vllum aſſignatum, multo minus momentum. ἐξελέξατο εἶναι ἁγίους, *Elegit vt ſimus ſancti*: νυνὶ δὲ ἀποκατήλλαξεν παραστῆσαι ὑμᾶς ἁγίους: *Nunc reconciliauit, vt ſiſtat vos Sanctos.*

IX. Primum locum ex Cantico, Delrio ſic interpretatur, *Hortatur ſponſam Eccleſiam ne aborationis, & pœnitentiæ ſemitis vnquam deflectat: ſic enim procul dubio futurum, vt perfectam pulcritudinem & facilitatem in ſingulis membris conſequatur.* Quid hoc ad Baptiſmum, magis, quàm ad Pœnitentiam? magis quàm ad preces? Imò ſtatim, *Es pro eris accipio, more Hebræo, cum Nyſſeno, Ruperto, & multis aliis. Capio hoc igitur de perfectione triumphantis Eccleſiæ, in qua nihil coinquinatum, quæ ſine macula & ruga eſt.* Ὁ ἅπαξ ἐν τῇ θείᾳ δόξῃ γενόμενος, inquit Nyſſenus, ὅλος γίνεται καλὸς, ἔξω τῶν ἀντικειμένων μώμου γενόμενος. *Qui ſemel fuerit in gloria diuina, totus fit pulcer remotus ab omni macula aduerſa.* Quid hoc ad lotionis momentum?

X. Nec tamen neceſſarium non comprehendi ſtatum huius vitæ: aut non intelligi, illud eſſe, in præſenti. Aponius, *Omni inquit ex parte nullam recipis maculam, neque rugam. Non enim ſoli doctores, vel perfecti quoque pulcri ſunt ante oculos Dei, qui ſumma ſcientia & contemplatione præeminent; ſed etiam ſimplices quique fideles, qui recta fide & bonis operibus exornantur, pulcri in oculis ſponſi habentur. Hoc ideo dicimus, non quòd ali-*

*quis in præſenti vita ſine peccato eſſe poſſit, cùm ſcriptum ſit, Nemo eſt ſuper terram ſine peccato, nec infans vnius diei: ſed ideo, quia fides perfecta. Et cœleſte deſiderium omnem abſterget maculam leuioris peccati. Tota ergo pulcra eſt Eccleſia, in quantum ſe caſtam & immunem ab omni peccato cuſtodit: Si quando autem leui peccato fuſcatur, citra pœnitudine & fide recta ad cœleſte deſiderium in ea priſca pulchritudo reparatur.* Audin tu? Primùm omnes pulcri & tamen leuioribus ſaltem peccatis maculati. Non eſt ergo illa perfecta purgatio; quæ ne leuiſſimam quidem maculam relinquat. Et rurſus audin tu fide, pœnitudine purgari? At noſtri Papiſtæ in Baptiſmo duntaxat perfectam purgationem agnoſcunt.

XI. Ioannis decimo tertiò, quid eſt primùm, Baptiſmo peculiare? Nam Chriſtus cum addidit *vos pueri eſtis*, non addidit mentionem vllam Baptiſmi. Cur non comparare liceat cum altero Ioannis c. 15. *Vos mundi eſtis propter ſermonem quod loquutus ſum vobis?* Præterea, audio quidem totos mundos; ſed non audio perfectè mundos. Auguſtinus in Ioan. tract. 80. *Quis eſt in hac vita ſic mundus, vt non ſit magis magiſq; mundandus? Vbi ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt: ſi autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus qui dimittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Mundet itaque mundos.* Quare totus mundus, non ſignificat perfectè mundum; quem hic quærimus. Mitto Chryſoſtomum aſſerentem tum, cùm ſiccos Chriſtus alloqueretur, non fuiſſe liberatos peccatis; itaque dictos mundos κατὰ τὸ ἀφ' ἑαυτῶν καθαροὶ εἶναι· οὔπω γὰρ τῶν ἁμαρτημάτων ἦσαν ἀπηλλαγμένοι, οὐδὲ πνεύματος ἠξιωμένοι ἁγίου· ἔτι τῆς ἁμαρτίας ἐγκρατούσης, τῆς κατάρας τοῦ χειρογράφου ἐρρωμένου, τοῦ ἱερείου οὔπω προσενεχθέντος, *Nunquid ergo mundi erant? Qui quidem nondum erant à peccatis liberi, neq; donati ſpiritu: vtpote peccato adhuc obtinente; manenteq; chirographo maledictionis, cùm nondum eſſet hoſtia oblata.* Hunc ſequutus eſt ſuo more Theophylactus. Sed οὐ πρὸς τὸν πόδα.

XII. Ezechielis locum ſcio ab Hieronymo & Theodoreto, Lyranóque exponi de Baptiſmo. Sed vix videtur. Nondum enim baptizati ſunt Iudæi, præter admodum paucos: cùm tamen ſalus hæc populo promittatur: ſed demus tamen illud: at perfecta hæc purgatio quomodo concluditur? Nempe quia legimus, *Mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Sed primùm non ſequitur, ſi mundandi ſint, ergo vno momento. Deinde indicantur non ſinguli per capita, ſed vniuerſus populus: quorum ſanctificatio eſt diuerſa. Nam dici poteſt populus ſanctus, ſiue mundus in vniuerſum propter ſanctitatis profeſſionem: quanquam alioquin priuata capita multis laborent defectibus. Sic Paulus non propterea non appellat ſanctos, Corinthios, & Galatas, quos tamen ſeueriſſimè reprehendit, & quidem in multis. Tertiò, omnia inquinamenta videntur à Propheta notari pro idololatria, & cultu falſorum Deorum: & propterea ſtatim addi, omnia idola: neque verò טמאה pollutio, omne peccatum ſignificare videtur, ſed abominandum.

XIII. In tertiam claſſem congeſtæ ſunt figuræ Baptiſmi. Circunciſio, ad Coloſſ. 2. mare rubrum, prioris ad Corinthios 10. ſanatio lepræ in Iordane, poſt. Regum 5. Suffocatio porcorum, Matth. 8. probatica piſcina, Ioan. 5. Lotio & curatio cæci nati, Ioann. 9. Atqui in his omnibus verè fiebant omnia, putà in Circunciſione carnis amputatio: in mari rubro Ægyptiorum præfocatio; & ſic de aliis. Ergo etiam in Baptiſmo tolluntur omnia peccata. Vnde Gregorius libr. 9. Epiſtol. 39. *Qui dicit peccata in Baptiſmate non funditus dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.*

XIV. Reſpondeo negari conſequentiam, explicatam ex ſtatu quæſtionis. Neque enim neceſſe eſt omnium effectuum Spiritualium Baptiſmi eandem eſſe rationem, quæ eſt effectuum corporalium antityporum præcedentium. Cuius rei ratio petenda à ſignorum natura; quæ ſimilia eſſe oportet, non abſolutè, ſed ſecundum quid. Sic in ipſo Baptiſmo ſignum ablutio: quam tamen non intereſt fieri totius: quia pars ſufficit, ipſis concedentibus Papiſtis. Atqui hæc nunquam ſufficeret, ſi omnia omnibus deberent per particulas reſpondere: etenim non bene totalis ablutio videretur deſignari per partialem. In Circunciſione particula tantùm corporis, eaque minima reſecabatur: cuius ad corruptionem aliqua analogia eſt; ſed non ad omnia peccatorum genera. Similiter in mari rubro, non omnes Ægyptij merſi, ſed pars tantùm, nempe is exercitus, qui populum Dei perſequebatur.

XV. Denique ſi eſſent omnia vtrinque paria, oporteret peccata in Baptiſmo ſemel dimiſſa nunquam poſtea eſſe moleſta. Nam neque præputium amputatum redibat: neque Ægyptij poſt ſuffocationem perſecuti ſunt Iſraëlitas: neque lepra Nahamanem infeſtauit denuò: neque porci redierunt in paſcua: neque morbi ſanati in probatica recrudeſcebant: neque cæcus curatus, denuò cæcutiit. At peccata rurſum inſtaurari, rurſum moleſta eſſe concedunt aduerſarij: & Nazianzenus, quo loco porcorum legionis meminit, eodem iteratas tentationes notat, aduocata ex Lucæ 11. parabola immundi ſpiritus, πάλιν ὑποστρέφει εἰς τὸν οἶκον, ὅθεν ἀπεχώρησεν· ἀναίσχυντός ἐστι, φιλόνεικός ἐστι, προσβάλλει πάλιν· πειρᾶται πάλιν, *Rurſus in domum, è qua receſſerat, reuertitur. Impudens eſt: peruicax eſt: rurſus impetum facit, rurſus tentat.*

XVI. Audacter ergo conſequentia negatur. Neque enim magis neceſſaria; cum dixeris; in illis figuris omnia facta, perfectáque vno momento; quæ corporalia erant: Ergo in Baptiſmo etiam quæ ſpiritualia: Quàm ſi dicas: In iis figuris nunquam deinceps reſtituta in integrum quæ corporaliter erant ablata: Ergo neque in Baptiſmo quæ ſpiritualiter. Præſtat ergo ſimpliciter analogiæ naturam retinere, æſtimatam à præcipuo effectu: vt ablatio rerum corporalium, ſignificet ablationem ſpiritualis nequitiæ: circunſtantiis reſeruatis ſuis cuique parti. Nempe, vt ſi effectus ſumatur iuſtificationis, quæ eſt per non imputationem, ea vno momento fiat, & perficiatur; per hanc enim plenè & ſemel condonantur omnia peccata: ſin autem Sanctificationis, hæc quidem inchoetur eodem momento, ſed poſtea perficiatur per gradus. Itaque in figuris vtrumque hoc deſignari dandum, ſed donationis œconomiam non ſignificari peculiariter.

XVII. Quartæ claſſis ſunt comparationes. Pſalmo 51. *Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.* Iſaiæ 1. *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum; ſicut nix dealbabuntur & ſi fuerint rubra vt vermiculus, ſicut lana alba erunt.* Et 44. *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata.* Hi loci comparant mundationem rebus verè & propriè mundis. Et cùm ſolaris radius diſſoluit nebulas calore ſuo, ita eas euaneſcere facit, vt nihil remaneat tenebrarum, ſed cœlum verè ſerenum appareat.

XVIII. Eadem, quæ prius, vanitas argumenti; à re ad modum rei. Atqui, vt concedamus, haud aliter iſta explicanda, quàm de inhærente purificatione: tamen promiſſiones ſunt in futurum: *lauabis, dealbabor: dealbabuntur, alba erunt.* Atqui hæc tam vera ſunt, ſi fiant paulatim, quàm ſi ſubitò: itaque in vtramuis partem ſumi poſſunt: non præciſe in alteram.

XIX. In 44. fateor eſſe verbum temporis præteriti: Sed res eſt facilis, niſi contextus reſecetur, *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua: reuertere ad me, quoniam redemi te.* Certè non reuertitur ad Deum, niſi qui auerſus. Vide ergo, quomodo loquatur Spiritus Sanctus; Deleta dicit peccata eorum, qui tamen iubentur reuerti ad Dominum. An quiſquam plenè purgatus: an quiſquam reapſe mundus, & totus mundus, qui nondum conuerſus? Quare iſtud delere, neceſſario ſignificat, idipſum quod nos vrgemus: nempe Deum non imputantem peccata. Ac proinde concedendum illas comparationes nubes, & nebulæ; dici de hac non imputatione: quia ſcilicet apud Deum peccata non imputata, ita cenſentur ac ſi non eſſent.

XX. Quinta claſſis continet ſimilitudinem peccati originalis Ad Rom. 5. *Sicut per vnius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, ita per vnius obedientiam iuſti conſtituentur multi.* At illi verè conſtituuntur peccatores, & verè iuſtitiam amittunt, non ſola imputatione. Ioan. 3. *Quod natum eſt ex carne caro eſt: quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt.* At illi verè carnales: Ergo iſti verè ſpirituales. Prioris ad Corintios 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita in Chriſto omnes viuificabuntur.* Hic locus intelligitur de vera morte, & vera reſurrectione: Ergo & iã citata, de vero peccato & vera iuſtificatione.

XXI. Semper nugæ. Nondum enim concluditur quæſtio: aut certè, peccatur παρὰ τὸ συμβεβηκός. Nam hi loci docent quid fiat; non docent quomodo fiat. Vt multi peccatores per inobedientiam Adami; ſic multi per Chriſti obedientiam iuſti. Omnino nempe vt illinc multi, ita hinc multi. Ea ſimilitudinis ratio. At eadem ratione multi iuſti, qua multi peccatores, ſomnium Ieſuiticum, alias ſatis diſcuſſimus. Sic in reliquis. Verè carnales, ergo verè ſpirituales. Quis negat? Sed non vt omnino carnales & vno momento, ſic omnino, vnoque momento ſpirituales. Deinde, quid hoc ad Baptiſmum peculiariter? Nam iuſti conſtituuntur, ac proinde ſpirituales, etiam in pœnitentia: non illa tantùm quam Sacramentalem finxerunt Papiſtæ; ſed etiam quotidiana atque adeò priuata.

XXII. In ſexta, ſimilitudo eſt mortis Chriſti. Ad Romanos 6. *Conſepulti ſumus cum Chriſto per Baptiſmum in morte.* Et, *Si mortui ſumus, quomodo viuemus in illo* Ad Coloſſ. 2. *Conſepulti ei in Baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis.* Auguſtinus Enchiridij c. 52. *Quemadmodum in illo vera mors facta eſt, ſic in nobis vera remiſſio peccatorum: & quemadmodum in illo vera reſurrectio, ita in nobis vera iuſtificatio.* Argumentum. Si Chriſti mors & reſurrectio veræ fuerunt omnibus modis, non autem quoad aliquid veræ, & quoad aliud falſæ: igitur & remiſſio peccati vera mors eſt peccati, non quoad reatum tantùm, ſed quoad omnia quæ peccati rationem habent.

XXIII. Reſpondeo, in Baptiſmo veram eſſe remiſſionem peccatorum: & hanc ipſam veram mortem peccati: quia nimirum & in præſens non poteſt fideles damnare, quæ verè vita eſt peccati: & in futurum prorſus eſt extinguendum, ex eo letali vulnere quod iam accepit. Itaque conceſſo antecedente, nego conſequentiam: quæ ex eo quòd Chriſtus per omnia mortuus ſit ſecundùm omnes partes vitæ; infert etiam nos abſolutè mori peccato, & ſecundùm omnes peccati partes. Nam eadem continuatur fallacia; à re ad modum rei. Similitudo autem Pauli ea eſt inſtituta vt rem doceat, id eſt, mortificationem peccati: at non præſentem modum eius. Patet: quia ſi mors peccati abſoluta eſt, & per omnia ſimilis morti Chriſti: Ergo vita peccati non poteſt redintegrari: quandoquidem Chriſtum ad redintegrationem vitæ ſuæ oportuit eſſe Deum. Tum autem, quia mortem peccati ſequitur noſtra reſurrectio: ſi noſtra ſit ſimilis; omnino oportebit eſſe abſque metu redeundi ad peccata; quando Chriſtus ſemel mortuus, ampliùs non moritur: ſemel ſepultus, iterum non ſepelitur. Quod tamen aſſerunt contrà Papiſtæ; vix momentaneam agnoſcentes hanc, quam tanti faciunt, regenerationem.

XXIV. Nos igitur longè melius, & ſimpliciùs intelligimus, commori Chriſto, & conſepeliri in vniuerſam vitam: vt quod ſemel factum ſit ſacramentaliter, duret ad extremum vſque ſpiritum: Nempe vt remiſſio peccatorum ſemper habeat vim ſuam atque efficaciam plenam, & perfectam: deinde renouatio & generatio, ſemel inchoata, perficiatur quotidie; adeò vt non ſit ſæpius inchoanda: quomodo vita quam per natiuitatem accipimus, non toties reſtituitur, quoties accedentibus morbis curatur: ſed eadem numero refocillatur. Et, vt loquitur Paulus, ἀναζωπυρεῖται. Itaque Paulus addidit nos σύμφυτους γεγονέναι, *cum eo plantatos coaluiſſe*: cui metaphoræ non poteſt bene conuenire cum momentaneo effecto. Neque enim σύμφυτος dici poteſt ſurculus, qui tam citò deſiit viuere, quàm inſitus fuit. Sanè verò omnes Chriſtiani, quandiu fideles ſunt, etiam ſunt σύμφυτοι. Si ergo tales fiunt per Baptiſma; non eſt momentaneum Baptiſmatis effectum. Σύμφυτοι ergo τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ non ſignificat eos, qui vndequaque ſunt peccato liberati: ſic enim nullus Chriſtianorum peccatum haberet: aut nullus Chriſtianorum eſſet σύμφυτος: quod vtrumque abſurdum.

XXV. Sexta claſſis docet nos in Baptiſmo renaſci Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto.* Ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis,* Ad Coloſſ. 2. *Cùm eſſemus mortui propter delicta, conuiuificauit nos Chriſto.* Prioris Petri 2. *Quaſi modò geniti infantes.* At certè iſta generatio & vita requirit veram mortem peccatorum, & veram mutationem interiorem, non autem ſolam imputationem. Quomodo enim verè ſumus viuificati, & regeniti, ſi adhuc mors in nobis manet?

XXVI. Reſpondeo; iſtam regenerationem non inquirere omnimodam mortem peccatorum præſentem. Ratio facilis. Quia hæc regeneratio non eſt momentanea; ſed in fidelium vitam vniuerſam. At hæc non habet omnimodam mortem peccatorum. Probatur maior. Quia omnis filius Dei eſt regenitus: At fidelis per totam vitam eſt filius Dei: Ergo omnis filius Dei per totam vitam eſt regenitus. Maior manifeſta, propter relationem Filij, & generationis. Eſt enim hæc fundamentum relationis inter Patrem & Filium

Minor

Minor non incertior. Primæ Ioannis, *Chariſſimi nunc filij Dei ſumus.* Ad Galatas 3. *Omnes filij Dei eſtis, per fidem in Chriſto Ieſu.* Prioris ad Theſſal. 5. *Omnes vos filij lucis eſtis, ac filij Dei.*

XXVII. Non eſſe autem vniuerſam fidelium vitam talem, vt habeat omnimodam peccati mortem; non eſt, opinor, nunc neceſſe plenius demonſtrari; quod pridem factum: nec verò controuerſum apud Papiſtas. Certè Paulus erat filius Dei; qui tamen optauit ſe liberandum corpore mortis: & gemuit non tantùm non fieri à ſe bonum, quod vellet; ſed etiam fieri malum quod nollet. Etiam Ioannes intonuit mendaces eſſe qui ſe negarent habere peccatum.

XXVIII. At, inquit, quomodo verè ſumus viuificati, ſi adhuc mors in nobis manet? Nempe igitur Bellarmino Paulus non fuit verè viuificatus. An potiùs mors non manet in eo, in quo adhuc peccatum eſt? Hoc ſanè verius. Nam Ioannis 5. *Qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, ſed tranſiuit à morte in vitam.*

XXIX. Claſſis octaua continet ea quæ docent, non poſſe ſimul habitare lucem, & tenebras; peccatum & iuſtitiam. Prioris ad Corinthios 10. *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dæmoniorum.* Poſter. 6. *Quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? quæ conuenientia Chriſti ad Belial? qui autem conſenſus templi Domini cum idolo? Vos enim eſtis templum Dei viui?* Concipitur argumentum in hanc formam. Si verè eſt in nobis poſt Baptiſmum peccatum natura ſua mortale: Ergo eſt in nobis iniquitas, ergo tenebræ, ergo Belial: Ergo eſt conuentio lucis ad tenebras, iuſtitiæ ad iniquitatem, Chriſto ad Belial.

XXX. Deum immortalem! tam fœdè ſui eſſe oblitum Bellarminum! Relege iſta ex c. 12. primi de Purgatorio, *Qui decedunt in peccatis venialibus, aut cum debito pœnæ alicuius temporalis, ij non ſimpliciter moriuntur in Domino; ſed partim in Domino, ratione caritatis, quam ſecum ferunt: partim non in Domino, ratione peccatorum, quæ nihilominus ſecum ferunt. Neq; mirum videbitur, quòd aliquos dicamus mori, partim in Domino, partim non in Domino, ſi legatur S. Auguſtinus libro quarto contra duas epiſtolas Pelagianorum, c. 3. vbi eoſdem homines in hac vita partim eſſe dicit filios Dei, partim filios huius ſeculi.* Quid eſt, quæſo, mori in Domino? Nonne lux? Ergo mori non in Domino, tenebræ. Et certè Paulus filios lucis dixit eoſdem filios Dei. Eſt igitur qui ſimul moriatur in luce & in tenebris: eſt qui ſimul ſit filius lucis, & filius tenebrarum. Et nunc Bellarminus docebit, non poſſe eſſe in eodem peccatum & iuſtitiam; quia nullum commercium luci cum tenebris? Sic ſapit.

XXXI. Porrò, nos ſcimus nihil eſſe commune extremis, diametraliter oppoſitis: nempe ſecundùm tuam propriam definitionem: ſed ſcimus viciſſim in remiſſis gradibus poſſe in tertium aliquod concurrere. Porrò, in his locis extrema ſemper eſſe Chriſtum & Belial, eodemque modo reliqua, quæ dinumerantur ab Apoſtolo. Sed in gradu remiſſo eſſe peccatum habitans in baptizato, & ſanctificationem. Quare frequenter in eodem ſubiecto conſiderari, etiam in Scripturis, Nam Marci 9. *Credo Domine: ſuccurre incredulitati meæ.* En tibi in eodem homine fidem, & infidelitatem, *πίστιν καὶ ἀπιστίαν.* Ad Roman. 7. *Ipſe ego αὐτὸς ἐγὼ mente ſeruio legi Dei, carne verò legi peccati.* Ad Galat. 5. *Spiritu incedite, & concupiſcentiam carnis ne perficite: nam caro concupiſcit aduerſus ſpiritum; ſpiritus autem aduerſus carnem: hæc enim inter ſe oppoſita ſunt;* in eodem ſcilicet homine: nam ſtatim, *vt non quæcunque volueritis, eadem faciatis.* Auguſtinus apud Bedam, *Videte quale bellum propoſuit, qualem pugnam, qualem rixam! Intus, intra te caro concupiſcit aduerſus Spiritum.*

XXXII. Quid pluribus rem plenam explanem? Non igitur negat Paulus in eodem homine ſimul reperiri bonum & malum: peccatum & iuſtitiam: ſed duntaxat debere alterum eliminari, nempe malum & peccatum. Et quidem forti argumento, ab vtriuſque extremi natura; quia enim non conueniunt Chriſtus & Belial, lux & tenebræ: Eſſe autem nos oportet Chriſti, & lucis; ideo certiſſima concluſio, non debere nos oppoſitis indulgere. Sed nulla conſequentia eſt: Ergo nullo modo eſſe in nobis quicquam oppoſitorum.

XXXIII. Et verò cur non cogitauit Bellarminus; hæc Apoſtoli verba, non peculiariter pertinere ad Baptiſmi momentum; ſed vniuerſaliter ad vitam Chriſtianam; etiam longè poſt id momentum? Nam profectò ad Corinthios ſcribebat pridem baptizatos: & quidem poſt illam amiſſam momentaneam ſanctitatem, ſi fuerat vnquam vlla. Nam eos variè reprehendit. Vult ergo etiam poſt amiſſam illam, de Corinthiis verum eſſe, nullam eſſe communionem Chriſti & Belial. Quæ phraſis, ſi id conficiat, vt in quibus aliquid eſt Chriſti, nihil ſit Belial; in quibus aliquid lucis, nihil remaneat tenebrarum: Ergo ea tanta puritas, non pertinet ad Baptiſmi momentum, quàm ad totam vitam. Cur ergo non niſi de Baptiſmi momento contendunt Sophiſtæ?

XXXIV. Supereſt noua claſſis; vbi ſunt loca, quæ docent Deo eſſe odio peccata. Pſalmo 5. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem.* Et 45. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.* Sapientiæ 44. *Odio eſt Deo impius, & impietas eius.* Ergo aut Deus in iuſtificatione penitus tollit peccata, ita vt nihil ſit quod odio habere poſſit: aut nihil omnino remittit, ne obligationem quidem ad pœnam. Ratio conſequentiæ: Si peccatum maneret; Deus illud odiſſet: ſi odiſſet, punire vellet: ſi punire vellet, non ignoſceret. Expediam diſtinctius argumentum, vt facilior ſit ſolutio argumentationis directæ. In quocunque peccatum eſt aliquo modo; eum Deus punire vult: At baptizatum Deus non vult punire: Ergo in baptizato nullo modo peccatum eſt. Minor patet per remiſſionem quæ datur per Baptiſmum. Maior probatur ex iis locis qui docent Deum odiſſe iniquitatem.

XXXV. Reſpondeo, negari maiorem. Inſtantia eſt in oppoſitum vehemens. Quia ſi omnes puniret, ergo nemo ſeruaretur. Pſalmo 130. *Si iniquitates obſeruaueris ô Deus; Domine quis ſtabit?* Auguſtinus, *Circunſpexit ſe, circunſpexit vitam ſuam, vidit illam vndiq; flagitiis & facinoribus coopertã. Quacunq; reſpexit, nihil in ſe bonum inuenit, nihil illi iuſtitiæ ſerenum potuit occurrere. Et cùm tanta & tam multa peccata vndiq; & cateruas ſcelerum ſuorum videret, tanquam expaueſcens clamauit, Si iniquitates obſeruaueris, Domine, Domine quis ſuſtinebit? Non dixit, ego non ſuſtinebo: ſed quis ſuſtinebit? Vidit enim prope totam vitam humanam circumlatrari peccatis ſuis, accuſari omnes conſcientias cogitationibus ſuis, non inueniri cor caſtum præſumens de ſua iuſtitia.* Chryſoſtomus, Τὸ γάρ τις ἐνταῦθα οὐδείς ἐστιν, οὐ γάρ ἐστιν οὐκ ἔστιν οὐδένα μετ' ἀκριβείας παρέχοντα τῶν πραγμάτων τὰς εὐθύνας τυχεῖν ἐλέους καὶ φιλανθρωπίας ποτε, *Illud enim quis, hic nullus eſt. Neq; enim fieri poteſt, vt ſi rerum à ſe geſtarũ ſummo iure ab vllo exigatur ratio, poſſit vnquam miſericordiam & clementiam conſequi.* Subiice nunc. Atqui non omnes pereunt, imò quidam ſuſtinent: Ergo non vult omnes punire Deus.

XXXVI. Itaque addit Propheta, *Certè apud te propitiatio eſt.* Chryſoſtomus, οὐκ ἐν τοῖς ἡμετέροις κατορθώμασιν, ἀλλ' ἐν τῇ ἀγαθότητι τῇ σῇ ἐστι τὸ διαφυγεῖν τὴν κόλασιν, τὸ διαδρᾶναι τὴν δίκην ἐν τῇ σῇ κεῖται φιλανθρωπίᾳ· κἂν μὴ ταύτης ἀπολαύσωμεν, τὰ ἡμέτερα οὐκ ἀρκεῖ τῆς μελλούσης ἡμᾶς ἐξαρπάσαι ὀργῆς, *Non in noſtris rectè factis, ſed in tua bonitate licet effugere ſupplicium. Vt iudicium enim fugiamus in tua clementia ſitum eſt. Quòd ſi eam non fuerimus aſſequuti, noſtra non ſufficiunt ad nos ab ira futura eripiendos.* Plana ergo diſtinctio eſt. Iudicat Deus, vel exacto iudicio, id eſt, ſecundum legem; vel per clementiam, id eſt, ſecundùm Euangelium. Quoſcunque iudicat ſecundùm legem, punire vult. Sed non omnes iudicat ſecundùm legem: imò non paucos ſecundùm Euangelium: Ergo non paucos non vult punire; etiam ſi habentes peccata. Inde reliqua ſunt facilia.

## Cap. VI.

### *De efficacia Baptiſmi in futurum, argumenta Catholica.*

I. Sequitur nunc alterum membrum, quod eſt de effectu Baptiſmi in futurum. Catholicorum enim ſententia eſt Baptiſmi vim & efficaciam non tantùm complecti peccata præterita; ſed ad omnia futura pertingere; quæ itidem remittenda ſint propter Baptiſmum; id eſt, propter promiſſionem diuinam remiſſionis additam Baptiſmi Sacramento.

II. Papiſtæ calumniantur, Catholicos docere, ſolam memoriam Baptiſmi iuſtificare à peccatis, quæ fiunt poſt Baptiſma. Vnde furoris Tridentini fulgur, *Si quis dixerit, peccata omnia quæ poſt Baptiſmum fiunt, ſola recordatione & fide ſuſcepti Baptiſmi vel dimitti, vel venialia fieri, anathema ſit.* Anſam calumniæ ſumpſerunt ex Caluino, Inſtitut. 4. c. 15. §. 3. & 4. Item ex Antidoto. Opponunt autem ſuam ſententiam, his verbis conceptam apud Bellarminum, *Non poteſt fieri, vt ſola memoria, & fide ſuſcepti Baptiſmi peccata remittantur, quæ poſt Baptiſmum fiunt, ſed neceſſarium eſt pœnitentiæ Sacramentum.*

III. Deſcribam verba Caluini; vt fraus pateat, *Neque verò exiſtimandum eſt, Baptiſma in præteritum duntaxat tempus conferri, vt nouis lapſibus, in quos à Baptiſmate recidimus, quærenda ſint alia noua expiationis remedia, in aliis neſcio quibus Sacramentis, perinde ac ſi illius vis abſoluta eſſet. Sic autem cogitandum eſt, quocunq; baptizemur tempore, nos ſemel in omnem vitam ablui & purgari. Itaq; quoties lapſi fuerimus repetenda erit Baptiſmi memoria, & hac armandus animus, vt de peccatorum remiſſione ſemper certus ſecuruſq; ſit. Nam etſi ſemel adminiſtratus præteriiſſe viſus eſt, poſterioribus tamen peccatis non eſt abolitus. Puritas enim Chriſtiana in eo nobis oblata eſt: ea ſemper viget, nullis maculis opprimitur; ſed omnes noſtras ſordes obruit, extergit.* In Antidoto, *Qui ſola Baptiſmi recordatione deleri peccata tradunt, non nudam ipſam aut friuolam intelligunt, ſed cum fide ac pœnitentia coniunctam; qualis eſt prima quoq; Baptiſmi cognitio. Eiuſmodi, inquam, recordatio non venialia modò peccata facit, ſed prorſus obliterat. Nam quoties de peccatorum remiſſione quæritur, ad Baptiſmum confugiendum eſt, vt inde petamus eius confirmationem.*

*IV.* Viden quid ſit? Non ſola inquiunt memoria, ſed pœnitentiæ Sacramento opus. Tolle Sacramentum; quod nos demonſtrauimus nullum eſſe in pœnitentia; reliqua ſana ſunt. Et ſanè, quis neſcit ipſi Baptiſmo, coniunctam eſſe pœnitentiam; vel teſtimonio Ioannis, & Petri? Itaque diſertè Caluinus coniunxit, memoriam, fidem, pœnitentiam. Denique ſumma hæc eſt, *Per gratiam Dei peccata remitti pœnitentibus.* Eius gratiæ Sacramentum eſſe Baptiſmum. Itaque huius vim exſeri non tantùm in præcedentia; ſed etiam in omnia ſubſequentia. Quoties igitur lapſis poſt Baptiſmum neceſſaria erit remiſſio, reponendam eſſe eandem gratiam cuius Sacramentum acceptum eſt, obligans ad pœnitentiam. Hoc modo memoriam Baptiſmi condonare peccata; ſed non ſine pœnitentia, ſicut ne ipſum quidem Baptiſmum. Hæc Caluini, hæc Catholicorum genuina ſententia eſt.

*V.* Confirmatur. Primò, quia nunquam Scriptura reſtringit hanc efficaciam ad peccata præcedentia Baptiſmum: ſed generaliter loquitur de remiſſione peccatorum. Marci 1. *Baptizabat Ioannes in deſerto, & prædicabat Baptiſmum reſipiſcentiæ ad remiſſionem peccatorum.* Act. 2. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomen Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum.* Act 22. *Surgens baptizator, & abluitor à peccatis tuis.* Dicunt Iuriconſulti, vbi lex non diſtinguit, ne nos quidem debere diſtinguere: & tam ſimus audaces, vt hanc Scripturæ generalem enuntiationem contrahamus; & dicamus non niſi præteritorum peccatorum remiſſionem eſſe in Baptiſmo? Atqui ſic fiet, vt infantes non baptizentur in remiſſionem peccatorum; ſed tantùm peccati vnius, nempe originis: neque enim illi peccata multiplicauerunt.

*VI.* Secundò: Eadem efficacia eſt Baptiſmi, quæ gratiæ diuinæ: Atqui gratia diuinæ efficax eſt ad delenda & remittenda etiam futura poſt Baptiſmum peccata: Ergo etiam Baptiſmus. Maior patet, quoniam Baptiſmus eſt eius gratiæ Sacramentum, id eſt, ſignum efficax: nec per ſe agit quicquam in peccata, ſed per gratiam. Minor probatur, quoniam alioquin duorum alterum eſſet neceſſe: vel ſecundùm numerum multiplicari gratiam Dei, vel ſine gratia remitti peccata. At vtrumq; abſurdum. Nam ſine gratia remiſſionem vllam non admittit fides Chriſtiana. Præterea voluntas Dei non multiplicatur per actus innumeros. At gratia eſt voluntas Dei: Ergo non multiplicatur. Patet maior, quoniam voluntas Dei eſt Deus ipſe. At Deus eſt immutabilis. Sed & Pſalmo 89. *In ſeculum miſericordia ædificabitur. In ſeculum cuſtodiam ei miſericordiam meam. Miſericordiam meam non auferam ab eo.*

*VII.* Tertiò: Eadem efficacia eſt Baptiſmi, quæ mortis Chriſti. Nam ille hanc & ſignificat, & applicat: ita vim ſuam habet ab ea, ipſis concedentibus Papiſtis. At mors Chriſti delet etiam quæ poſt Baptiſmum committuntur peccata; Ergo & Baptiſmus. Aſſumptum nemo negat: ne Papiſtarum

quidem.

quidem. Et docet diſertè Paulus ad Coloſſ. 2. *Voſq; mortuos in peccatis; & præputio carnis veſtræ, cum eo viuificauit, vobis condonatis omnibus peccatis: ac deleto quod aduerſum nos erat rituum chirographo; quod, inquam, erat nobis occultè contrarium; ipſe verò cruci affixum è medio ſuſtulit.* Satis perſpicuè: Nam chirographum, id eſt, quo condemnamur ſecundùm legem propter peccata. Si igitur hoc chirographum ſublatum eſt; ergo ſublata condemnatio eſt; non tantùm in præſens; ſed ne in futurum quidem: aliàs non eſſet ablatum.

VIII. Quartò: Si nulla efficacia Baptiſmi eſſet in futurum: Ergo ſanctificatio quæ ſignificatur in Baptiſmo, non eſſet in futurum. At hoc falſum: Ergo & illud. Maior clara: quia ſignificatio eſt efficacia Baptiſmi: ac proinde ſanctificatio pars ſignificationis eſt pars efficaciæ. Minor eſt apud Paulum ad Roman. 6. *Quid igitur dicemus? permanebimuſne in peccato, vt gratia auctior fiat? Abſit. Qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in eo? An ignoratis, quotquot baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum, in mortem eius eſſe baptizatos?* Manifeſta mens eſt. Nemo mortuus peccato in baptiſmo, poſt baptiſmum viuit in peccato. At omnes baptizati mortui ſunt peccato in baptiſmo: Ergo nemo baptizatus viuit in peccato poſt baptiſmum. At maior hæc manifeſtè falſa eſt; ſi non niſi momentanei ſunt effectus baptiſmi. Et præterea manifeſtum; confirmandos fideles in ſanctificatione, reuocari à Paulo memoriam baptiſmi: eodem modo quo nos in ſermone de remiſſione.

IX. Quintò: Salus tribuitur baptiſmo. Ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Marci vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Prioris Petri 3. *Saluos nos facit Baptiſma.* Nemo ſaluatur, cui non remittuntur peccata, & præſentia, & futura poſt baptiſmum. At per baptiſmũ fideles ſaluantur: Ergo per baptiſmum remittuntur peccata præſentia & futura. Maior patet: quia peccata quæ fiunt poſt baptiſmum, æquè damnarent, ſi non remitterentur.

X. Bellarminus ſoluit. Primò: Salutem vel in re eſſe, vel in ſpe. Illam non eſſe effectum baptiſmi, ſed finem. Nunc autem diſputari de effectu. Hanc verò eſſe ipſam iuſtificationis gratiam: itaque peccatorum præteritorum.

XI. Obſcurè; propter ἀχυρολογίαν. Nam ſalutem in re dici olim futuram: in ſpe autem præſentem vix videtur eſſe mentis ſanæ. Verùm condonemus; & rem ipſam potius attendamus. Dico ſalutem in re, & ſalutem in ſpe, re non differre, ſed tantum ratione: eandem enim, quam nunc ſpe concipimus, olim adepturi ſumus. Itaque perinde eſſe vtrovis modo interpreteris. Nam ſenſus eſt in baptiſmo; promitti ſalutem olim futuram re; nunc duntaxat præſentem in ſpe.

XII. Veruntamen, inquit, illa olim re futura, non eſt effectum baptiſmi. Imò, inquam; primò falſum eſt. Nam Apoſtolus dixit baptiſmum facere nos ſaluos. Verùm non eſt effectum immediatum: quia baptiſmus proximè efficit remiſſionem peccatorum; & per hanc ſalutem finalem. Eſt, inquit, finis eius. Imò non eſt propriè finis: nam finis eſt ratione agentium; ſed eſt finis Dei vtentis Baptiſmo. Atqui hoc modo nihil obſtat quominus idem ſit & finis, & effectus baptiſmi. Vt quia homo vtitur igne ad coquendum lateres; nihil abſurdi eſt, quominus coctio ſit effectus ignis, & tamen finis eius qui vtitur igne. Deinde, etiamſi ſalus illa in re futura, non eſſet effectum baptiſmi; non tamen ſolueretur argumentum: quia poſito fine poni oportet neceſſaria media ad finem: Eſt autem neceſſarium medium vt baptiſmo conſtet is finis, remiſſio peccatorum poſt baptiſmum. Nam, exempli gratia; ſi Petrus qui poſt baptiſmum negat Magiſtrum; omnino amiſit illam remiſſionem quam erat conſequutus: Ergo baptiſmus non ſaluauit Petrum: quia non obſtante baptiſmo, erat propter hanc negationem damnandus, æquè ac ſi omnino baptizatus non fuiſſet.

XIII. De Petro ſeorſim philoſophatur. Non eſt ad rem, inquit; Nam Petrus cùm loquitur de tempore præſenti, non comparat baptiſmum cum peccatis, ſed tempus Chriſti, cum tempore Noë.

XIV. Imò eſt ad rem, inquam. Nam ſalus, non ſignificat imperfectionẽ reſtaurationis humanæ, duntaxat inchoatæ: ſed eius abſolutæ perfectionem. Itaq; cùm tribuitur baptiſmo ſalus, neceſſe eſt ſignificari, non id quod fit & in momento, & non vltra id momentum; ſed id etiam quod in futurum, ſine quo ſalus eſſe nequit. De tempore præſenti; id verò non eſt ad rem; neque obiectum à nobis Vendat, ſi volet, in foro ſcrutario.

XV. Sextò: Per baptiſmum communicatur Chriſti puritas: Ergo effectum baptiſmi eſt perpetuum in totam vitam. Probatur conſequentia; quia hæc imputata puritas ſemper viget, nec vllis maculis opprimitur.

XVI. Reſpondet; falſum eſſe fundamentum, iuſtificari nos Chriſti iuſtitia imputata. Et contrà verum, nos iuſtificari propria & nobis inhærente iuſtitia; quæ nec ſemper vigeat, & maculis obruatur. Sed hoc prolixè diſputatum eſt tomo præced. in Controuerſiis de Iuſtificatione. Itaque firmum manet Caluini argumentum.

XVII. Sextò; teſtis eſt Auguſtinus, de Nuptiis & Concupiſcentia, lib. 1. c. 33. *Sic accipiendum eſt quod ait Apoſtolus, Chriſtus dilexit Eccleſiam ſuam, & ſemetipſum tradidit pro ea, vt eam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo: vt exhiberet ſibi ipſe glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiuſmodi. Sic, inquam, accipiendum eſt, vt eodem lauacro regenerationis, & verbo ſanctificationis omnia prorſus mala hominum regeneratorum mundentur, atque ſanentur, non ſolùm peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptiſmo, ſed etiam quæ poſterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur: non vt Baptiſma quoties peccatur, toties repetatur: ſed quia ipſo quod ſemel datur, fit vt non ſolùm antea, verùm etiam poſtea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Epiſtola 50 *Neque aliquid remanet in Baptiſmo quod non dimittatur omnium præteritorum peccatorum, ſi tamen ipſe Baptiſmus non fruſtra foris habeatur, ſi aut intus detur, aut ſi cui iam foris datus eſt, non foris cum illo remaneat: & quicquid ab eis, qui poſt acceptum Baptiſmum hic viuunt, infirmitate humana contrahitur quarumcunq; culparum, propter ipſum lauacrum dimittitur.* Hæc Auguſtinus, prudenter expenſis Pauli verbis, quæ vim baptiſmi proferunt eò vſque dum ſiſtatur Eccleſia tota ſine macula: quod profectò eſſe non poteſt, ſi quæ poſtea ſuboriuntur peccata, ad ea nihil pertinet vis baptiſmi.

XVIII. Bellarminus reſpondet, Auguſtinum tantùm dicere peccata futura purgari aliquo modo: quia videlicet ſine baptiſmo, nihil proſint cætera, quæ fiunt ad purgandum peccatum, *Quid enim*, inquit, *prodeſſet, vel ante Baptiſmum pœnitentia, niſi Baptiſmus ſequeretur, vel poſtea niſi præcederet?* Eundem verò alibi dicere Epiſtola 23. *Semel acceptam paruulus Chriſti gratiam non amittit, niſi propria impietate, ſi ætatis acceſſu tam malus euaſerit: tunc enim propriè incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, ſed alia curatione ſanentur.*

XIX. Aliquo modo, inquit: quaſi quiſquam abſolutè diceret: & non etiam præſens efficacia eſſet ipſa etiam aliquo modo, nempe quatenus eſſe poteſt Sacramenti. Sed is modus, quis quæſo? Quia ſine baptiſmo nihil proſint cætera. Fortè, inquam: Sed hoc ipſum ſine baptiſmo, quid eſt? Sunt enim quædam cauſæ ſine quibus non: quæ ad effectum præter nudam præſentiam nihil conferunt: vt ſine ardore ignis non lucet: ſine luce non ardet. Sunt aliæ, quæ aliquid conferunt præterea; vt ſine ferramentis non fabricatur domus: ſine alis non volat coruus. Quid ergo Auguſtinus? Audi? Non prodeſt pœnitentia ſine baptiſmo ſequente; vel præcedente. En tibi cauſam ſine qua non. Dic Bellarmine, nihilne baptiſmus ſequens confert ad remittenda peccata; cùm ſequitur pœnitentiam? Aut ſi confert aliquid; cur nihil, cùm præcedit eandem?

XX. Sed alibi contrà docuit. Tibi viſum Bellarmine: ſed mihi contrà. Dixit ille infantem amittere gratiam baptiſmi propria impietate. Nihil dubi; nam etiam adultis commune. Sed quid obſtat quominus recuperent eandem? At non per regenerationem: nimirum, inquam, repetitam; quaſi eſſent iterùm baptizandi. Sed per aliam curationem ſuperadditam, inquito; & validam ex vi baptiſmi. Sic nihil erit incommodi. Nam & Caluinus memoriam baptiſmi coniungit fidei & pœnitentiæ.

XXI. Denique probatur efficacitas baptiſmi in futurum. Quia ſi hæc nulla ſit; ergo nullis hæreticis, nullis qui cùm baptizantur obicem ponunt, vnquam prodeſſet baptiſmus. At hoc falſum. Quia & hæreticis redeuntibus ad Eccleſiam prodeſt: & iis etiam qui fictè ſuſceperunt, recedente poſtmodum fictione. Quam ob cauſam non iteratur. Dominicus Soto in 4. diſt. 6. quæſt. 1. art. 8. *Remota fictione per pœnitentiam, baptiſmus ſtatim conſequitur ſuum effectum. Probatur autoritate Auguſtini primo de Baptiſmo contra Donatiſtas, capite duodecimo. Tunc enim, inquit, valere incipit ad ſalutem baptiſmus; cùm illa fictio veraci confeſſione receſſerit, quæ in corde malitia vel ſacrilegio perſeuerante peccatorum ablutionem non ſinebat fieri.* Et paulo pòſt; *Concluſio hæc omnium eſt doctorum vniuerſalis.* Non poteſt vitari vis argumenti. Si nulla eſt vis baptiſmi niſi in præſens, & vt loquuntur ex opere operato: Ergo nunquam fictè baptizato remitterentur peccata. Oportet enim remitti, vel in præſens vel in futurum. At non in præſens: quia teſtatur Auguſtinus impediri ablutionem peccatorum quandiu fictio durat. Non etiam in futurum ſi nulla ſit baptiſmi vis in futurum. At id falſum: Ergo neceſſe eſt concedi aliquam efficaciam baptiſmi, etiam longè poſt ſuam celebrationem.

---

## CAP. VII.

### *Contra Baptiſmi efficaciam in futurum obiectiones Papiſticæ.*

I. OBiiciunt Papiſtæ apud Bellarminum. Primò, ex ad Hebr. 6. *Impoſſibile eſt eos qui ſunt illuminati, iterum renouari ad pœnitentiam.* Non vult Apoſtolus, non poſſe lapſos vllo modo redire ad pœnitentiam. ſed non poſſe renouari ad pœnitentiam, quomodo renouantur, qui baptizantur: interpretibus, Ambroſio, Chryſoſtomo, aliis. Et confirmatur ex verbis, *illuminati, renouari, crucifigentes Filium Dei:* quæ ſunt propria baptiſmi, in quo illuminamur, renouamur, & imitamur Chriſti mortem.

II. Optandum erat, vt vim argumenti Bellarminus diſtinctiùs oculis obiecisset. Nam quid hæc nuda recitatio poteſt habere virium? Porrò, de eo loco varia ſunt iudicia: quæ aliàs ſunt à nobis non indiligenter expenſa. Alij putarunt negari iterationem baptiſmi: alij naturam exponi peccati in Spiritum Sanctum. Et his fauet phraſis; impoſſibile renouari ad pœnitentiam: quæ non vnam pœnitentiæ ſpeciem excipit, ſed vniuerſaliter pœnitentiam tollit. Itaque ſi coërceri debet; profectò præſtat in altera parte exceptionem quæ i; nempe in iis qui illuſtrati: quod Caluinus fecit. Sic enim, non in vniuerſum baptizatis aufertur ſpes pœnitentiæ; ſed quibuſdam duntaxat; nempe peccantibus in Spiritum Sanctum; quibus eodem ſenſu Chriſtus abſtulerat ſpem veniæ. Hinc credo nihil ſibi commodi potuit ſperare Bellarminus.

III. Ergo potiùs ex iteratione baptiſmi. Quomodo? Nam ſi dicas, Non poteſt iterari baptiſmus: Ergo nullum habet effectum in futurum; nos conſtanter conſequentiam ſumus negaturi. Et contrà, veriſimiliùs ſperemus dictum iri, Si non poſſit iterari: ergo habere effectum in futurum. Nam is certè plurimus vſus eſt, vt quæ ſemel ſumpta efficaciam breuem habeant, ſed vtilem, repetantur. Concedimus ergo neminem ſic poſſe regenerari poſt baptiſmum, vt qui baptizantur, id eſt, redintegrato baptiſmo. Sed negamus in quibus remittuntur peccata propter baptiſmum præcedens, hos ſic renouari. Diſcrimen longum. Nam qui in baptiſmo renouantur participes fiunt fœderis cui nondum erant adſcripti. At qui poſtea propter baptiſmum obtinent remiſſionem nouorum peccatorum, non nouum fœdus ineunt; ſed eiuſdem fœderis beneficium ſentiunt, cui nomen iam dederunt: itaque non vt alieni; ſed vt domeſtici.

IV. Inſtat. Etſi nolitis aſperſionem repeti, tamen efficaciam: vt verè per baptiſmum remittantur peccata poſtea facta; & eadem facilitate, perfectioneque, ac plenitudine, vt antea, vt non ſit vllo modo laborioſior ſecunda reconciliatio, quàm prima. At hoc ipſum eſt quod Apoſtolus negat.

X. Continuari melius erat, quàm repeti, Bellarmine. Nam repetuntur, quæ de integro fiunt, quaſi penitus interciſa, intermiſſaque: continuantur autem, quorum ab vno initio perpetua ſeries eſt. Sic ante Chriſtum Deus teſtabatur, ſe pactum ſuum non repetiturum, ſed confirmaturum. Sed eſto tamen. Si non efficaciam, at effecta ſaltem repeti volumus: & ſi velis eadem facilitate, perfectione, plenitudine. Dicerem etiam facilitate maiori; fretus Apoſtolo, qui ad Roman. 5. *Iuſtificati*, inquit, *nunc eius ſanguine, ſeruabimur multo magis per eum ab ira illa.* Nam & ſic vſus eſt; vt difficilior

lior ſit prima reconciliatio cum inimicis, quàm poſtea reconciliatos indulgentia.

VI. At hoc negat Apoſtolus. Ita-ne? Magnam noſtram ſupinitatem, qui non obſeruauerimus; ne nunc quidem moniti obſeruare poſſimus: aut tuam Bellarmine impudentiam, qui quod eſt nuſquam, tam audacter eſſe aſſeris. Quomodo negat ergo? In primis ideo noluit dicere impoſſibile eſſe iterum baptizari; ſed renouari ad pœnitentiam baptiſmalem. Præterea propoſitum habuit deterrere baptizatos à peccatis, hac ratione, quia non poterunt eadem facilitate conciliari.

VII. Prius illud non intelligo: ſi dixerit impoſſibile eſſe renouari ad pœnitentiam baptiſmalem, ideo eandem facilitatem non eſſe. Quanquam hoc ipſum non dictum: ſed ſimpliciter pœnitentiam. Eſto nunc tamen. Sed pœnitentiam baptiſmalem, cur eam dicas cui baptiſmus iteratus addatur? Et non potius, eiuſdem modi cum pœnitenta quæ addita olim erat baptiſmo; id eſt, quaſi poſtliminio recipiendorum in fœdus, cui eſſet penitus renunciatum?

VIII. Alterum ridiculum eſt, propter fœdam petitionem principij: ponit enim eandem facilitatem negari, cùm inſtituerit probare eam negari. Sic ſibi ſunt Ieſuitæ commodè ſubtiles.

IX. Hæc prima fuit obiectio. Altera. Patres ſemper precantibus poſt baptiſmum impoſuerunt grauiſſimos labores, antequam eos reconciliarent.

X. Diſſimillimi ſunt Patribus ergo Papiſtæ, inquam: qui & reconciliant ante labores impoſitos: & hos ipſos leuiſſimos ſtudent imponere: nec labores, ſed quiſquilias ineptiarum; quas ſcopas dicunt, id eſt, aliquot pſalmorum cantillationes: quod obſeruatum nobis aliàs. Sed ita eſt tamen duram fuiſſe in peccantes poſt baptiſmum exercitam diſciplinam: magis ex humana præſumptione, quàm diuina autoritate: quæ diſputatio alterius eſt loci.

XI. Sed enim argumenti vim Bellarminus eſt perficere dedignatus. Nos negamus ſequi, ſi grauiſſimi labores fuerint. Ergo nullam fuiſſe efficaciam baptiſmi. Etenim Auguſtinum repete prius paulo auditum, *Quid prodeſſet vel ante baptiſmum pœnitentia niſi baptiſmus ſequeretur, vel poſtea niſi præcederet?* Ergo, inquam, hi tam duræ pœnitentiæ labores impoſiti reconciliandis, ſimiles ſunt iis qui baptizandis imponebantur; etſi, fortè, grauiores. Vtrique baptiſmum præſupponentes, alij futurum, alij præteritum; vtrinque efficacem.

XII. Tertia obiectio. Nulla æquitas patitur, vt æquè facilem viam habeat ad gratiam Dei, qui peccant ante baptiſmum, & qui poſt baptiſmum: cùm illi Deum ignorarent, iſti noſſent: illi non haberent gratiam, iſti haberent.

XIII. Nulla æquitas patitur. Vnde hoc? Docuitne Spiritus Sanctus, an humana, ſiue Papiſtica potius futilitas eſt imaginata? Hæc auara eſt, & maligna diſpenſatrix diuinæ gratiæ; imò φιλοκέρδος; atque adeò Deum ſuo ſubiiciens examini. Sic olim quidam, *murmurabant, dicentes, Iſti vltimi vnam horam opus fecerunt, & eos æquales nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtum.* Matthæi 20. Itaque ſeuerè coërcenda, *An non licet mihi quod volo facere in meis rebus? an oculus tuus malus eſt, quia ego bonus ſum?* Spiritus autem Sanctus diſertè, *Seruabimur multo magis ab ira.*

XIV. Fuit verò hoc idem argumentum in tractatu de Satisfactionibus: nunc igitur breuiter. Poſita hac difficultate, nego ſequi vim baptiſmi nullam eſſe in remiſſione peccatorum ſequutorum. Quamcunque enim dicas difficultatem, & duritiem; quemcunque rigorem; tamen remiſſio eſt; & eadem remiſſio quæ promiſſa in baptiſmo. Itaque efficacia perſeuerans.

## CAP. VIII.

### *Status cauſæ de neceſſitate Baptiſmi.*

I. NVnc de neceſſitate Baptiſmi diſputandum; quæ tractata Papiſtis iſtis Lindano 4. Panopliæ c.15. Ioanni Arboreo Theoſophiæ libri 2. c.10. Tappero art. 2. Catechiſmo ad Parochos. Feuardentio Theomachiæ lib.7.c.22. Lorichio de Baptiſmo hæreſi 4. Soto quæſt. 1. diſt. 5. 4. Sentent. Caſtro de Baptiſmo hæreſi 9. Bellarmino lib.1. de Baptiſmo c.4. Greg. de Valentia Comment. tom.4. diſp.4. quæſt.3. punct.4. Beccano Aphoriſmo Caluiniſtarum 21. Vaſqui in 3. Thomæ, diſp.149. & deinceps 51.52.53. Suari de Sacramentis, diſp. 27. Cotono Inſtitutionis libr.3. c.26. Moquoto in Cenſuræ tom.2. tract.5. c.3 4. & 5.

II. Noſtris verò: Caluino in Antidoto ſeſſ.7. ad anathematiſmum 5. de Baptiſmo. Item Epiſtola 193. & 408. Bezæ de Cœna Domini contra Vueſphalum ad caput 36. & in Abſterſione calumniarum Heshuſij ad 7. calumn. Petro Martyri cap.8 claſſis 4. Locorum communium. Hellopœo de tota re Sacramentaria tractat.2. cap.5. Vuitakero contra Duræum libr.8. Sadeeli ad Monachorum Burdegalenſium artic.11. Molinæo in Clypeo fidei part.2. ſect.18. & tribus deinceps. Riuero Catholici orthodoxi tractatus 3. quæſt.3. Scharpio Curſu Theologico in de Baptiſmo.

III. Concilij Tridentini canon 5. de Baptiſmo, ſeſſ.7. *Si quis dixerit, Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem, Anathema ſit.* Catechiſmus Tridentinus, *Nihil magis neceſſarium videri poteſt, quàm vt doceantur, omnibus hominibus Baptiſmi legem à Domino præſcriptam eſſe, ita vt, niſi per Baptiſmi gratiam Deo renaſcantur, in ſempiternam miſeriam, & interitum à parentibus, ſiue illi fideles, ſiue infideles ſint, procreentur.* Suares, *Simpliciter dicendum eſt, Baptiſmum eſſe medium neceſſarium ad remiſſionem peccatorum, & ad gratiam & gloriam conſequendam. Concluſio eſt de fide.* Hæc illi abſque diſtinctione, quam & Bellarminus voluit neglectam. Soto neceſſitatem diſtinguit finis & præcepti: ſed vtramque æquè ſtatuit.

IV. At Gregorij de Valentia minor audacia, modeſtior aſſertio. Prima, *Baptiſmus iis qui baptizari poſſunt, non ita ad ſalutem neceſſarius eſt, vt nullo alio modo, neq; in vllo caſu ſine illo reipſa ſuſcepto ſalutem conſequi valeant.* Secunda, *Adultis cùm baptizari poſſunt, ita ex diuino præcepto Baptiſmus re ipſa neceſſarius eſt ad ſalutem, vt ſi hoc facere omittant, peccent omnino peculiari peccato mortali.* Poſtrema, *Paruulis ita Baptiſmus re ipſa neceſſarius eſt ad ſalutem, vt ſecundùm legem ordinariam nequeant ſine Baptiſmo aquæ ſalutem conſequi, excepto vnico caſu, ſi videlicet interficerentur pro Chriſto.* Vbi vides nullam abſolutam neceſſitatem indicari, ſed ſemper cum exceptione.

V. Et verò alij poſtquam egregiè diſputarunt; coguntur exceptiones addere; diſtinguentes Baptiſmum fluminis, flaminis, ſanguinis. Fluminis eum qui propriè Baptiſmus eſt; & re vera corpus lauat aquis; denique Sacramentum. Flaminis Baptiſmum dicunt ſiue pœnitentiæ, contritionem cordis, ſiue præparationem ſufficientem ad gratiæ infuſionem. Sanguinis autem, martyrium pro Chriſto, ſeu iuſtitia ſuſceptum.

VI. Duo flaminis & ſanguinis concedunt poſſe ſupplere tertium fluminis. Bellarminus, *Perfecta conuerſio ac pœnitentia rectè Baptiſmus flaminis dicitur, & Baptiſmum aquæ ſaltem in neceſſitate ſupplet.* Altenſtaig tamen exceptionem addit; baptizatos hoc baptiſmate, licèt recipiant effectum Baptiſmi aquæ, quantùm ad remiſſionem culpæ & infuſionem gratiæ, non tamen regulariter quantùm ad remiſſionem pœnæ. Videtur etiam Suares reſtringere ad ſolos adultos diſertè aſſerens, non tantùm, *nullum infantem decedentem ſine Baptiſmo ſaluari ex ſpeciali priuilegio aut diſpenſatione:* Sed etiam, *Infantes, qui in maternis vteris moriuntur, non poſſe ſaluari:* Et id eſſe certiſſimum; & ita ſentire vniuerſam Eccleſiam ac Theologos. Altenſtaig tamen, *Baptiſmus flaminis,* inquit, *fit quotieſcunq; quis per miſericordiam Dei ſanctificatur à peccatis ſuis, ſiue fiat in vtero, ſicut de Ieremia & Ioanne Baptiſta legitur ſiue extra vterum, ſiue virtute pœnitentiæ.*

VII. De Baptiſmo ſanguinis Bellarminus, *Martyrium rectè dicitur & eſt, quoddam Baptiſma.* Et explicat; quia configuret hominem Chriſti paſſioni & morti; quia remittat peccatum originale, & reliqua omnia ſi quæ ſint admiſſa quia remittat omnem pœnam peccato debitam, tam æternã, quàm temporalem. Notat tamen horum trium capitum duo extrema eſſe ſecundo certiora: propter nonnullorum ſcrupulos; in quibus nihil quod noſtra interſit. Altenſtaig confidentior, & explicatior, *tollit,* inquit, *omnem culpam, tollit etiam omnem pœnam, adimit recidiuam, confert ſine mora præmium, & tribuit maiorem gratiam & per conſequens gloriam ampliorem.*

VIII. Hæc Papiſtarum ſententia eſt. Nunc Catholicorum ex Caluini Antidoto, *Nos Baptiſmi vſum neceſſarium confitemur, ne cui liceat, vel negligentia, vel contemptu ipſum omittere: atque hoc modo nequaquam liberum facimus: nec fideles modò ſeuerè adſtringimus ad eius obſeruationem, ſed ordinarium quoq; Dei inſtrumentum aſſerimus ad nos lauandos & renouandos, ad ſalutem deniq; nobis communicandam. Hoc tantùm excipimus, ne manus Dei inſtrumento ſit alligata, quin poſſit per ſe hominum ſalutem perficere. Nam vbi deeſt Baptiſmi facultas, abundè valet ſola Dei promiſſio.* Hellopæus in eandem ſententiam ſcripſit, *Nos fatemur quidem ex ordinatione diuina quoddam velut correquiſitum eſſe Baptiſmi Sacramentum ad ſalutem, neq; citra ſacrilegium illud omitti poſſe. imò ſi ex contemptu omittatur, letale flagitium hoc fore, niſi ſeria pœnitentia ſequente: ſed ſic neceſſarium dicere, vt ſi quis neceſſitate excludatur, quominus eo vtatur, de ſalute periclitetur, manifeſtum eſſe errorem affirmamus, neq; Sacramentorum priuationem, ſed contemptum eſſe exitialem dicimus.*

IX. Explicabo diſtinctiùs. Neceſſitatem eſſe aliam abſolutam, aliam ſecundùm quid. Illam, quæ media ſimpliciter ſubſtituat fini; ita vt iſte nullo modo poſſit obtineri, niſi illis poſitis. Hanc verò, quæ media non ſimpliciter, ſed poſitis certis circunſtantiis fini ſuo ſubſternat. Sacramentorum finem eſſe ſalutem omnes concedimus: Ac proinde eſſe neceſſaria: quandoquidem ſalus ipſa ſit neceſſaria. Sed abſolutam neceſſitatem negamus. Alteram ſecundùm quid concedimus. Sic non tantum baptiſmum, ſed etiam Euchariſtiam; imò etiam vltra Sacramenta, prædicationem verbi: imò præceptorum obſeruationum: & nonnulla fortè alia. Arboreus, *Baptiſmi Sacramentum ſimpliciter non eſt neceſſarium.* Paulo pòſt, *Et tamen ſecundùm quid neceſſarium eſt ad ſalutem: ſic quòd non debet contemni.*

X. Hanc neceſſitatem ſecundùm quid, cùm aliter fortaſſe deſcribi poſſe, tum certè duobus præcipuè capitibus; Vno, ſecundùm externas circumſtantias, ſiue temporis, ſiue perſonarum. Exempli gratia: Amor coniugalis neceſſarius eſt: ſed tamen iis duntaxat, qui ſunt coniuges, & quandiu ſunt coniuges: Nam quibus nullum eſt coniugium; nullus eis amor eiuſmodi neceſſarius. Sic obedientiam neceſſe eſt exhiberi regibus; ſed ſi quis ſub rege ſit: nam ipſum Regem, nulli regi obedire neceſſarium. Item ſi quis maiori aliquo officio non impeditur; nam præſtat obedire Deo quàm hominibus; itaque qui regi non obedit, propter Deum, huic nulla culpa eſt violatæ regiæ obedientiæ.

XI. Altero; vt ne neceſſitas intelligatur impoſita Deo, ſed tantùm hominibus. Nam hos Deus certo ordini voluit eſſe obnoxios: cui tamen ipſe ſeſe non ſubiecerit: ſic cùm hominem noluerit viuere abſque alimentis: tamen ipſe aliter aliquando ſuſtentauit hominem. Sic cùm audiamus neminem credere abſque prædicante; tamen inhumanum eſt credere omnes natura ſurdos in æternum perire.

XII. His ſic explicatis credimus Baptiſmi neceſſitatem ita eſſe: vt eius ſuſcipiendi ordinem Deus impoſitum voluerit; adeò vt ſi propria ſiue temeritate, ſiue negligentia omiſerit; æquè ſe exponat æternæ mortis periculo; vt corporeæ, ſi abſtineat cibo. Quare eam ſiue temeritatem, ſiue negligentiam & vehementer odimus, & ſeuerè caſtigamus: nec parentes excuſamus, qui liberos ſuos multo tempore patiuntur alienos à baptiſmo. Verùm perſuaderi non poſſumus, ſi quis quancunque ob cauſam aqua baptiſmi ſit priuatus, Deo nullam ſupereſſe rationem prouidendi eius ſaluti. Itaque etſi non adeò ſimus audaces, vt quaſi ingreſſi eius conſilij penetralia, pronuntiemus hunc illúmve ſaluum fieri aut damnatum, mortuum ſine baptiſmo; tamen credimus non omnes ſic mortuos damnari: & in eo ordine fidelium liberos piè conſtituimus. Hæc noſtra ſententia eſt; oppoſita ſententiæ Papiſtarum.

## CAP. IX.

### *De neceſſitate Baptiſmi argumenta Papiſtica.*

I. EXpendamus argumenta Papiſtica. Quorum primũ eſto à locis Scripturę quibus remiſſio peccatorum Baptiſmo tribuitur; non neglectis Alphonſo à Caſtro. Ad Eph.5. *Chriſtus dilexit Eccleſiã, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illã ſanctificaret mundando eam lauacro aquæ in verbo.* Ad Tit.3. *Saluos*

*nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti,* His lociſ lauacrum intelligitur Baptiſmum. Inde ſequitur, paruulos non baptizatos, quia non ſint hoc lauacro loti, non eſſe mũdos, neque regeneratos, neque renouatos: & per conſequens, ſi abſq; Baptiſmo moriantur, nunquam peruenturos ad illam Eccleſiam, quæ eſt ſpecioſa ſine macula & ruga.

II. Reſpondeo negari conſequentiam. Videlicet ex logicorum regula, quia vniuerſales affirmatiuæ non reciprocẽtur. Veriſſimum eſt omnem hominem eſſe animal: ſed falſum non hominem non eſſe animal: quia verum aliquod animal non eſſe hominem. Ad eam prorſus ſpeciem; certum eſt Eccleſiam mundari per Baptiſmum: ſaluos nos fieri per Baptiſmum: ſed falſiſſimum non mundari, non ſaluos fieri ſine Baptiſmo, nimirum externo, & quod aqua conficitur. Nam manifeſta eſt inſtantia ex Baptiſmis flaminis. & ſanguinis, in quibus nulla prorſus eſt aqua; & tamen conceduntur à Papiſtis ſanctificare, & ſaluare, tam ſunt incogitantes ſui.

III. Itaque Dominus noſter longe peritior legitimæ ratiocinationis, noluit conuertere: Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſeruabitur: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Cur non æquè vtrumque. Nam *τὸ credere*, repetiit negando: non repetiit, *τὸ baptizari.* Etaudent monachi, quod ille noluit: & quidem tanta, tam præſente, tam vicina occaſione? Rectè Caluinus annotauit, *Tenendum eſt, non ita neceſſario requiri ad ſalutem, vt perire neceſſe ſit, quicunque eum adepti non fuerint. Neq; enim hic fidei adiungitur tanquam dimidia ſalutis cauſa, ſed vt teſtimonium.* Piſcator diſertius, *Non ita præciſe Baptiſmum ad ſalutem eſſe neceſſarium, patet ex ſententia ſequenti huic oppoſita, vbi Baptiſmus omittitur. Si autem Baptiſmus æquè ac fides ad ſalutem requireretur, dicendum fuiſſet in antitheſi, ὁ δὲ ἀπιστήσας, ἢ μὴ βαπτισθεὶς, κατακριθήσεται. id eſt, qui vero non crediderit, aut non fuerit baptizatus, condemnabitur.* Similiter Gualterus homilia 138. in Marcum.

IV. Secundum argumentum eiuſdem ex priore Ioannis c. 5. *Hic eſt ille, qui venit per aquam & ſanguinem, Ieſus Chriſtus: non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine* Et paulo poſt, *Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres vnum ſunt.* Attende ſubtilitatem. Venit; quo? Non in vterum virginis: quoniam non per aquam & ſanguinem ſimul: Ergo ad abluendas ſordes filiarum Sion in ſpiritu iudicii, & ardoris. Hæc ablutio, eſt peccatorum remiſſio per meritum Chriſti: quæ nunc fit in baptizatis. Rurſus vnum ſunt; in nobis, inquit Beda, non natura eiuſdem ſubſtantiæ, ſed eiuſdem operatione myſterij, quia Spiritus mẽtem renouat, aqua proficit ad lauacrum, ſanguis ſpectat ad pretium. His poſitis. Conſtat, inquit, Ioannem redarguere illos omnes, qui dicunt paruulos ſine baptiſmo poſſe ſaluari: quia Ioannes dicit tres eſſe teſtes, qui debent reddere teſtimonium animæ à ſordibus peccatorum ablutæ. At paruulis ſine baptiſmo mortuis deeſt vnus teſtis, videlicet aqua baptiſmi: Ergo illi non ſunt cenſendi mundati. Deinde Ioannes dicit Chriſtum venire ad noſtram omnium ſalutem, per aquam & ſanguinem ſimul, & non per alterum illorum tantum: & inde ſequitur, vt ad paruulos, quibus aqua baptiſmi deficit, nunquam Chriſtus ſpiritualiter veniat.

V. Vt glomerat impetus! vt ictus multiplicat! Non poteras ô bone; acutiori gladio nos interficere, ſi eras interfecturus; & non tam obtuſo pugione lancinare? Obſiſtam fortiùs; & breuius conficiam. Tres teſtes ſunt animæ ablutæ: Ergo, cui vnus deeſt, ea anima non eſt abluta. Hæc verò conſequentia non abluta, ſed diluta eſt: neque micam ſalis obtinet. Nam etiam vbi tres teſtes non nocent, tamen duo ſufficiunt. Quid enim de flamine dicas; quid de ſanguine? Nam in iis tertius ille teſtis, aqua, deſideratur.

VI. Per aquam venit & ſanguinem ſimul. Quid hoc eſt? an quia nullo vnquam momento per aquam, vt non per ſanguinem? Nihil tale Ioannes dixit: nec verum: ſed non in aqua ſine ſanguine: quod nihil obſtat quominus per aquam & ſanguinem diſparatè. Certè cum cœpit facere & docere; non tamen quoties docuit fecit: ſed aliquando docuit cùm non fecit. Et verò in hoc argumento, Latronem quomodo purgauit? Certè per ſanguinem: non enim fit aliter: ſed non per aquam. Non igitur ſic per aquam venit & ſanguinem, vt nullo momento; nullo exemplo per ſanguinem ſine aqua.

VII. Scio poſſe magnum negotium faceſcere de interpretatione huius loci; tam varia quàm vllius alius loci; adeò vt vix videantur duo capita conſentire. Sed nihil opus, quandoquidem Alphonſi ſophiſma aliunde ſatis refutatur. Hoc duntaxat annotandum; vt aliquid videri ſaltem poſſet dicere non prorſus alienum; coactum fuiſſe diſcedere ab omnibus interpretibus cùm antiquis tùm recentibus. Reliqua qui volent, videant præcipuè apud Salmeronem, & Lorinum; quibus ſolenne eſt omnia conuaſare, & lectorem onerare potiùs quàm erudire.

VIII. Tertium argumentum non vnius eſt proprium, ſed omnibus commune; adeò vt nemo in hac tractanda quæſtione fuerit, cui ſit omiſſum. Ex 3. Ioannis, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Loquitur Chriſtus de baptiſmi Sacramento, inquit Suares. In illa verò conditionali loquutione intrinſeca includitur neceſſitas: vt ſi medicus infirmo dixerit; niſi hanc acceperis medicinam, non ſanaberis: perinde eſt ac ſi diceret, hæc medicina tibi eſt ad ſalutem neceſſaria.

IX. Reſpondeo; non poſſe dari loquutum Chriſtum de baptiſmo in aqua: id eſt, aquam eo loco nominatam proprio literalique ſenſu pro externo & corporali elemento baptiſmi. Ratio eadem eſt quæ Papiſtis, à neceſſitate, quam ſignificat eam loquendi formula. Quæ ſi ſupponatur, vniuerſale axioma erit; neminem prorſus ingredi regnum cœlorum, cui defuerit elementum aquæ. Quod tamen eſſe alienum à vero conſentiunt Papiſtæ; qui baptiſmo aquæ ſubſtituunt interdum baptiſmum flaminis, & ſanguinis; in quorum neutro aqua eſt: imò quorum vtrique locus datur cum aqua deeſt. Toletus in hunc locum, *Abuſi ſunt hoc Seruatoris loco hæretici;* dicentes, *neminem poſſe ſaluari, qui non ſit ex aqua & Spiritu regeneratus quantumuis cum contritione & deſiderio Baptiſmi morte præuentus recedat.* Cùm ergo verum ſit, aliquem ingredi regnum Dei abſque aqua: alterutrum neceſſe eſt, aut falſum hoc enunciatum eſſe, quod eſt blaſphemum; aut aliter interpretandum quàm vt aquæ elementum dicatur ad ſalutem ita neceſſarium, vt ſine eo, nemo poſſit admitti in regnum cœlorum. Itaque Villagudus in hunc locum, *Non putauerim tamen aqua Baptiſmum ad ſalutem per ſe neceſſarium eſſe; adeò vt ſi aqua, miniſter, aut aliquid neceſſarium abfuerit, oporteat eum, qui baptizari cupit, perire.*



X. Itaque fatigant ſe etiam Papiſtæ in hoc loco explicando. Arboreus diſputans non eſſe ſimpliciter neceſſarium hoc Sacramentum, obiicientibus hunc locum reſpondit; *Communis ad hanc diluendam obiectionem ſolutio hæc eſt: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, ſcilicet Baptiſmo Chriſti, vel eo quod gerit vices Baptiſmi, non poteſt ingredi regnum Dei: modò Baptiſmus flaminis ſiue pœnitentiæ, cum quodam ſpontaneo propoſito ſuſcipiendi Baptiſmi Sacramentum, ſi temporis opportunitas detur: ſimiliter Baptiſmus ſanguinis, quo quis confitendo nomen Chriſti in acerrimis tormentis intingitur, ſubit vices Baptiſmi* Lombardus diſt. 4. libri 4. c. 2. *Sed illud intelligendum eſt de illis qui poſſunt & contemnunt baptizari. Vel ita intelligendum eſt, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, id eſt, ex ea regeneratione, quæ fit per aquam & Spiritum Sanctum, non ſaluabitur: illa autem regeneratio fit, non tantùm per Baptiſmum, ſed etiam per pœnitentiam & ſanguinem.* Bonauentura in eandem diſtinctionem, *Ad illud quod obiicitur de Domini mandato, patet reſponſio, quia intelligitur in eo, qui facultatem habet, & non præpeditur neceſſitate.* Barradius c. 1. lib. 4. tom. 2. Commentariorum, *Verba Chriſti ſunt intelligenda hoc ſenſu; Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, reipſa ſi poteſt; ſi verò non poteſt, in voto.*

XI. Sic omnino quadruplicem habes interpretationem. Vnam, Niſi babaptizatus vel baptiſmo aquæ, vel alio aliquo in eius vicem: hanc apud Arboreum ſolum legi: etſi is dixerit eſſe communem; quod certè re ipſa verum eſt; quandoquidem omnes docent flamen & ſanguinem ſupplere vices aquæ. Alteram; baptizati aqua; ſi poſſint; nec contemnant; & hæc Lombardi eſt, Bonauenturæque; imò Gorrani, & Carthuſiani; & Villagudi. Tertiam; baptiſmo aquæ; id eſt, ea regeneratione, quæ fit per baptiſmum aquæ; etſi aliter fieri etiam poſſit. Quartam, baptizatus vel re, vel voto.

XII. Et ſanè ita oportuit eos, quæ ab aquæ elemento diſcedere noluerunt Sed vt liberè dicam, non admodum dignè Chriſto: cuius axioma vniuerſale, circuncidatur manifeſtis exceptionibus: quæ contradictionis ſpeciem vitare vix poſſunt. Cum non ea ſit natura negatiuæ enuntiationis, & affirmatiuæ. Nam huic non propterea contradicitur, ſi quid excipiatur; vnde conſtet non conuerti terminos: Sic illud Ioannis 20. *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*: non ſit falſum, quia Thomas beatus eſt, qui vidit, & credidit. Sed negatiuam enuntiationem neceſſe eſt reciprocari terminis. Sic; ſi nullus adulter poſſeſſurus ſit regnum cœlorum: oportet nullum poſſeſſurum regnum cœlorum eſſe adulterum. Itaque Salmero tract. 4. tom. 8 tanquam exceptionem poſuit; *Tertiò*, inquit, *demendi veniunt, quotquot Baptiſmum ſitientes, & ad illum peruenire ſitientes, & ad illum peruenire feſtinantes: vt ſunt Catechumeni, aut alij in articulo mortis conſtituti Sacramentum poſcentes, & morte præuenti inopia miniſtrorum illud non ſunt aſſequuti: nam tales votum Baptiſmi concipientes, pro baptizatis coràm Deo habentur.* Atque inde poſtea legem manifeſtè reſtringit, *Solùm igitur*, inquit, *ad Baptiſmum ſuſcipiendum hæc lex ſub peccato eos adigit, qui prædicatione nouerunt eius neceſſitatem, nec temporis anguſtiis ab eo ſuſcipiendo excluſi ſunt: ſed vel negligentia, vel contemptu illum non receperunt.*

XIII. At Caluinus religioſior, quàm vt auderet Chriſto contradicere; maluit interpretatione non violenta, rem totam expedire. Aquam nullam nominari elementarem: ac proinde non baptiſmi Sacramentum: ſed tantùm regenerationem ſpiritualem indicari duobus vocabulis, aqua; & Spiritu: quorum iſtud propriè cauſam deſignet eius regenerationis: illud autem metaphoricè: nempe quia Spiritus efficacia ſimilis ſit aquæ. Hoc modo ἐξηγητικῶς aquam eſſe ipſum illum Spiritum ritum. Hanc interpretationem Piſcator eſt amplexus. Ego omnino facillimam, & ſimpliciſſimam, & tutiſſimam exiſtimo.

XIV. Primùm enim omnem exceptionem remouet. Quia omnino verum, neminem ingredi regnum Dei niſi regenitum per Spiritum Sanctum purgantem peccata, inſtar aquæ. Nam rectè Caietanus in hunc locum, *Naſci ſiquidem ex Spiritu, neceſſarium eſt ſimpliciter & abſolutè, ad conſequendam regnum Dei ex ipſa extremorum natura.* Et in eam rem paulo antè erat à Chriſto dictum, *Niſi quis γεννηθῇ ἄνωθεν fuerit genitus denuò*; ſiue vt alij vertunt, *genitus ex alto, non poteſt videre regnum Dei.* Magnus hic fructus eſt, vt vndique conſtet veritas enuntiationis negatiuæ: adeò vt neque mendacij, imò ne inconſiderationis quidem vlla vel vmbra reſidua ſit.

XV. Deinde, vſitata hæc interpretandi ratio eſt in aliis multis. Matthæi 19. *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem in regnum Dei introire.* Non ſolet obiici Abrahamum, Iob; aut alius quiſquam: ſed exponi diues; *poſſidens diuitias cum amore*, apud Anſelmum, *cupidus rerum temporalium, & de talibus ſuperbiens*; apud Auguſtinum quæſtionum Euangelicarum lib. 2. c. 47. Lucæ 14. *Niſi quis renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quia verum eſt contrà, aliquos poſſidentes etiam multa eſſe diſcipulos Chriſti; ideò Theophylactus, μηδὲν θέλοντες ἔχειν τῶν κοσμικῶν ἐμπαθῶς, *Qui rerum mundanarum nihil volunt habere cum vehementi affectu.* Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Thomas, *Si referatur ad ſpiritualem* manducationem, *nullam dubitationem habet ſententia.*

XVI. Hanc tamen interpretationem Caluini non tantùm Bellarminus impugnet, tum capite tertio ſecundi de Sacramentis, tum quarto de Baptiſmo: ſed etiam (qui toti in fermento) Maldonatus Commentariis, & Stapletonus Antidotis Euangelicis, in eum locum. Sed Bellarminus ſua opponit argumenta: illi examinant Caluini rationes. Attendamus quomodo.

XVII. Sex argumentis Bellarminus pugnauit; quorum ordinem inuertam. Eſto igitur mihi primum quod illi tertium. Coacta eſt; abſurda, & Scripturis inuſitata loquutio.

XVIII. Imò hæc potiùs ſtulta eſt, abſurda, & bonis viris inuſitata κακοζηλία: cui refutanda nos non oportet plus impendere aut operæ, aut temporis, quàm illum confirmandæ. Nam quis ille vir eſt tandem, cui liceat impudenter maledicere: aut qui nos tandem, quos neceſſe ſit ad ſingula eius verba tumultuari, quaſi Galli eſſent ad portas?

XIX. Secundum. Si ita liceret ludere in Scripturis, poſſemus negare baptiſmum aquæ. Nam vbique intelligemus nomine aquæ Spiritum Sanctum, & eodem modo licebit peruertere omnia alia myſteria.

XX. Religioſiſſimos ſacrorum apicum adoratores, ſcilicet! Caſtiſſimos vocabulorum diuinorum obſeruatores! Et quando hæc vos religio inuaſit obſecro? Heri factum, aut nudius tertius oportuit, ſi factum. An potiùs

non factum, ſed ad momentum duntaxat odio noſtri, odio veritatis ſimulatum? Nam quid ipſi vobis permittatis, lippis notum atque tonſoribus. Sed enim ſuperſtitioſus timor eſt. Nam conſequentia ludicra. Dicemur, inquit, vbique aquam eſſe Spiritum ſanctum. Vos, inquam, forte dicturi eſtis, vt ſe malitia ſolet in extrema præcipitare. Sed ſobrii nunquam dicent; quibus nunquam perſuaſum, vbique aquam ſignificare Spiritum, ſed certis tantum locis.

*XXI.* Tertium, ex communi axiomate Theologorum; quo docemur Scriptam intelligere ſecundum verborum proprietatem, vbi non cogimur euidenti abſurdo. Porro aduerſarij nullum abſurdum oſtendunt, quod ſequatur, ſi hoc per aquam intelligatur aqua, niſi quia refellitur ipſorum hæreſis.

*XXII.* Axioma Theologorum agnoſcimus: etſi fortaſſe alias non abſque exceptione. Sed hac, ſi qua eſt, nunc valeto. Abſurdum autem nullum indicari, falſum eſt; & quidem huiuſmodi, quod non noſtram tantum ſententiam non refellat, quam Ieſuita vocat hæreſin: ſed etiam Papiſticam, prorſus conuellat. Illud ipſum dico incommodum, vnde deueniĕdum fuit ad ſupplementum flaminis, & ſanguinis: à quo, aut diſcedendum neceſſario, aut hic locus vel interpretatione commoda deriuandus alio; vel importuna exceptione euitandus.

*XXIII.* Quartum. Si hoc loco per aquam non intelligimus aquam, difficile erit ſtatuere Sacramentum baptiſmi conſtare ex aqua. Nam cætera loca, vbi fit mentio aquæ in baptiſmo, vt Actor. 18 & ad Epheſios 5, probant quidem poſſe baptizari aqua, ſed non probant non aliis liquoribus: ſed & poterunt æque detorqueri ad metaphoras.

*XXIV.* Reſpondeo, negari propterea non poſſe probari baptiſmum conſtare aquę elemento. Supereſt enim locorū ſatis, in quibus de baptiſmo vere & proprie ſermo eſt: vt quicunque docent Ioannĕ baptizaſſe in Iordane, atq; adeo ipſum Ieſum. Non poteſt autem, ni fallor, negari in Iordane fuiſſe aquam elementarem. Et ille Act. 8. *Venerunt ad quandam aquam: tū ait Eunuchus, en aquam, quid prohibet me baptizari?* Poſtea, *Iuſſitq; ſiſti currum, ac deſcenderunt ambo in aquam, Philippus ſimul & Eunuchus, & ille baptizauit eum.* Nam quod dictum, detorqueri poſſe ad metaphoram, hominis eſt ſtolidius minacis, quam confidentius experti. Sed non docent, inquit, non poſſe aliis liquoribus. Sic, inquam, ingenioſa pertinacia eſt. Sed hæc teſtimonia ſunt inſtitutionis: quæ etſi non prohibeat totidem verbis alios liquores: tamen eo ipſo, quod non ponat, excludit.

*XXV.* Quintum argumentum. Si aqua non poneretur hoc loco niſi ad explicandū effectum Spiritus ſancti, male coniungeretur cum verbo renaſcendi. Conſequentiæ ratio, quia aqua, ſi tantum inſpiciatur eius ſignificatio, non gignit, ſed lauat & refrigerat. Itaque vel dicere debuiſſet Dominus, niſi quis mundatus fuerit aqua & Spiritu ſancto: vel, niſi quis renatus fuerit ex ſemine & Spiritu ſancto.

*XXVI.* Reſpondeo, negari conſequentiā: quia ſi ſignificet id effectum quod eſt à Spiritus regeneratione, nihil obſtat quominus coniungatur cū verbo regenerandi. Nam conſentiunt omnes voluiſſe Dominum indicare Nicodemo genus aliquod generationis aliud à carnali, cui hærebat hactenus. Itaque neutram illam Bellarmini phraſin oportuit vſurpari. Non illam in qua ſemen nominatur: quia nondum diſcuſſus error eſſet. Eſt enim Chriſtus genitus ex ſemine & Spiritu; & non tamen hac generatione, quæ nunc vrgebatur. Non item illam, in qua mundatio ſubſtituitur; quia diſceſſum eſſet à metaphora ſemel inchoata; & relictum ambiguum, vtrùm alius ſermo inchoaretur priore non explicato.

XXVII. Sed tamen, inquit, aqua non generat. Imò, inquam, aliis aliter viſum. Sed omitto: re vera enim ſubtilius eſt; & alienius ab hoc myſterio. Sed ſi quia non generet aqua, ideò ad Spiritus generationem ineptè adhibetur; quæ ratio, regenerationem tribuit baptiſmo? Et ſi in baptiſmo aqua ipſa rectè: cur hic malè nomen aquæ: & quidem per metaphoram? Nam alibi baptizari dicitur Spiritu & igne. Vbi ſi proprietatem ignis attenderis, ineptè coniungi dixeris ignem verbo baptizandi. Quod nemo tamen dixit, propter metaphoram videlicet, ſimilem huic noſtræ.

XXVIII. Sextum argumentum: Omnes Scriptores hactenus hunc locum intellexerunt de baptiſmo.

XXIX. Concedo, inquam: quemadmodum omnes illum panem qui tam ſæpe nominatur Ioannis 6. intellexerunt de Euchariſtia: vbi tamen & nos negamus de Euchariſtia agi propriè: & ipſi Papiſtæ ſaltem concedunt non per totum: quod nunc ſufficit. Et ratio non fuit longè petenda: quia etſi non de externo Sacramento; tamen agatur de interno Sacramenti effecto: de gratia, inquam, illa, cui ſignificandæ additum fuit elementum aquæ. Quemadmodum ergo non ſequitur Ioannis 6. panem non nominari metaphoricè; ſic ne hîc quidem aquam.

XXX. Hæc fuere argumenta Bellarmino. A Maldonato erit ſeptimum, ab abſurdo: quia ſequeretur non eſſe baptizandos infantes. Ratio; quia non poſſit aliunde probari. Nam cùm Chriſtus dixit Matthæi 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti:* de infantibus non egit; ſed iis qui priùs docti.

XXXI. Reſpondeo; nullam eſſe rationem conſequentiæ: Si hîc aqua non ſit elementum Sacramentale: Ergo non baptizandos infantes. Tam profectò, quàm nón baptizandas fœminas. Sed ira ſic ſolet impedire animum, ne poſſit cernere verum. At non poteſt aliunde probari. Imò, inquam, Papiſtis perſuaſum, nullo Scripturæ loco poſſe probari: vnde nobis diſputatio fuit neceſſaria tomo primo harum controuerſiarum, libri noni capite decimo. Vide Papiſtarum prudentiam. Tunc nuſquam poterat ex Scriptura probari. Nunc modeſtiùs, non aliunde quàm ex hoc loco. Sic ſibi conſtant! Sed vtrumque falſum. Nam de Pœdobaptiſmo, cùm Caluinus prolixè diſputauit, Inſtitutionis lib. 4. c. 16. tum alij alibi; multis citatis Scripturæ locis.

XXXII. Præterea, quid tum ſi non poſſet aliunde? An ſequeretur aquæ nomen non vſurpari metaphoricòs? Nos quidem negamus. Et verò inter aliòs locos, hunc ipſum Caluinus non omiſit, cùm diſputaret de Pædobaptiſmo: nec eo minùs tropum aſſeruit. Nempe Papiſtæ, ignorant quæ ſit argumentandi ratio à re ſignificata ad ſignum, quam tamen diſcere poterant à Petro, Actorum decimo.

XXXIII. Videamus nunc, qua iudicij ſeueritate refellant; vel potiùs bilis acrimonia inſectentur Caluini argumenta, Maldonatus & Stapletonus. Primum eſt ab inſtituto Chriſti, *Hoc enim,* inquit, *fuiſſet intempeſtiuum. Tenendum enim ſemper memoria eſt conſilium Chriſti, quod antè expoſuimus: nempe, quòd Nicodemum hortari voluit ad vitæ nouitatem, quia Euangelij capax non erat, donec alius homo eſſe inciperet. Eſt igitur vna & ſimplex ſententia, Nos de integro naſci oportere, vt filij Dei ſimus: atq; huius ſecundæ genituræ Spiritum Sanctum eſſe autorem. Nam cum Nicodemus Pythagoricam palingeneſiam ſomniaret, Chriſtus vt hunc illi errorem eximeret, interpretationis vice addidit, non fieri naturaliter vt ſecundò naſcantur homines, nec opus eſſe, vt alterum corpus inducant: ſed naſci, cùm mente & animo renouantur per Spiritus gratiam. Ideo Spiritum & aquam pro eodem poſuit.*

XXXIV. Hoc argumentum non confutat Stapletonus: ſed carpit duntaxat illud de Pythagorica palingeneſia: & de renouatione vitæ. Illam imaginariam eſſe, neque Nicodemo, aut cuiquam Iudæo creditam: neque de nouo corpore aſſumendo quæſitum fuiſſe, ſed de eodem, iam ſuo à matre iterum ſua progenerando. Neque Chriſtum de ipſa vitæ nouitate ſolùm renouationeque neceſſaria informaſſe Nicodemum: ſed de huius exordio, atque adeò ipſa regeneratione. Diſcrimen eſſe: quia regeneremur ſemel, *renouemur de die in diem:* per regenerationem in ſtatum filiorum adoptionis inducamur: per renouationem opera & actiones filiorum Dei proferamus, & in nouitate vitæ ambulemus: per regenerationem Chriſtum induamus: per renouationem imagini eius conformes efficiamur.

XXXV. Verùm vident omnes, hæc non attingere vim argumenti: ſed vitilitigationes eſſe inanes, eorum quibus πάρεργα ſunt αὐτὰ τῶν ἔργων. Itaque poterant omitti. Nam profectò nihil aliud Caluinus voluit, quàm id ipſum, quod Stapletonus in his obſeruatiunculis: tantùm vocabulis vſus aliis. Pythagoricam palingeneſiam non putauit aut creditam, aut etiam cognitam Nicodemo: ſed ita ſtoliditatem traducere libuit hominis; qui tam procul diſcedens à ſpirituali myſterio, magis accedebat ad fabuloſam illam deliberationem. Quòd ſi cui nomen diſplicet; mutato ſanè: Neminem propterea noſtrum moleſtum timeto. Regenerationem nullam eſſe renouationem, non diſputat Sophiſta; nec nos dicimus, omnem renouationem eſſe regenerationem: ſed regenerationem eſſe propriè initium renouationis, ac proinde ſemel fieri: renouationem verò perpetuari, atque etiam augeri. Sed qui nunquam genus audiuit poſitum pro ſpecie, indignari poterit renouationem dictam pro regeneratione: cui verò nota erit metonymia, ridebit tam leuiculam iræ exornandæ captatam occaſionem.

XXXVI. Maldonatus; etſi non minùs iracundus, tamen minùs λεπτολόγος. Bella eſt ratio Caluini, non agi de Baptiſmo, quia agatur de vitæ renouatione. Quaſi verò vitæ renouatio alia re quàm baptiſmo fiat: & non dicat Paulus Chriſtum Eccleſiam mundaſſe per lauacrum regenerationis: ad hunc locum nimirum alludens. Vnde enim in mentem illi veniſſet, vt baptiſmum lauacrum regenerationis appellaret, niſi intellexiſſet hoc loco Chriſtum de regeneratione, quæ per baptiſmum fit, loquutum eſſe?

XXXVII. Enimverò magis bella ſcilicet illa Papiſtarum ratio eſt; agi de baptiſmo, quia agatur de vitæ renouatione: quæ non alia re fiat magis quàm baptiſmo. Videlicet perinde illis eſt argumentatio à genere ad ſpeciem poſitiuè; vt à ſpecie ad genus. Et ſic illis quicunque Sophiſtas nominabit, non niſi Ieſuitas intelliget, quibus nemo fuit vnquam magis ſophiſta. Sed illis liceat fortè ὑπερφρονεῖν. nos magis deceat σωφρονεῖν. Nego igitur eiuſmodi viſum eſſe argumentum Caluino. Is enim, non ab eo diſputat, quod docetur: ſed à modo potius docendi. Itaque intempeſtiuum dixit de baptiſmo loqui: vtpote nondum aut cognito, aut etiam cognitu facili huic Iudæo. Vnde propoſtera fuiſſet eius docendi ratio, ab ignotis.

XXXVIII. Quid tum autem, ſi Paulus hinc cognouerit quod eſſet lauacrum regenerationis? Nam profectò etiam nos agnoſcimus hoc loco agi de regeneratione, quæ fit per baptiſmum. Sed tu Maldonate, debebas didiciſſe à Lombardo, aliud eſſe agere de baptiſmo, aliud de regeneratione quæ fit per baptiſmum. Et à nobis, baptiſmum poſtulare aquam elementarem, at regenerationi ſatis eſſe aquam metaphoricam. Sed hi tam ſunt omnium rerum periti, vt neque à ſuis, nedum à nobis dignentur quicquam diſcere. Quin ipſum potiùs filium Dei doceant, & quid dicat, & quomodo.

XXXIX. Caluinus addebat: Aquam & Spiritum pro eodem poni, non eſſe durum aut coactum. Frequentem eſſe loquendi morem in Scriptura, ad exprimendam vim Spiritus; aquæ, vel ignis nomen adiungi: vt cùm dictum, Chriſtum eſſe qui baptizet Spiritu Sancto & igni: nam hîc ignem nihil à Spiritu diuerſum denotare: ſed tantùm qualis eius ſit efficacia oſtendere. Et certè vtroque igni, inquam, & aqua, bene denotari vim Spiritus ille non dubitabit, qui aduerterit quod eſt apud Plutarchum initio problematum Romanorum: τὸ πῦρ καθαίρει, καὶ τὸ ὕδωρ ἁγνίζει. *Ignis purgat: aqua purificat.*

XL. Stapletonus; primùm notat, non probari de aqua, quod debuit: ſed de igne; non ad rem: ſecundò de igne, ſemel dictum, non frequenter. tertiò notant Maldonatus, Stapletonus, Bellarminus: ignem dictum materialem, non metaphoricum: nimirum illum in linguis, quæ diſtributæ ſunt Apoſtolis in Pentecoſte.

XLI. Sed duæ primæ commentationes, ad λεπτολογίαν pertinent. Caluinus non vocem aquæ attendebat, ſed phraſin, quum per ἐπεξήγησιν idem bis dicatur variatis vocabulis, & plerunque per tropum. Cuiuſmodi multas eſſe in Scriptura, præſertim veteris teſtamenti, in quo oportuit Nicodemum eſſe exercitatiſſimum, nemo negat: & ſi quis neget, infinitis obrui poteſt exemplis. De igne autem: quod tum ſi ſemel tantum ſit eo modo loquutus Baptiſtes? Id verò plus quàm ſatis eſt: vt vt Caluinum lapſum eſſe concedamus in numerando.

XLII. At ignis ſymbolum eſt Spiritus Sancti in die Pentecoſtes. Imò hoc fieri non poteſt. Nam Ioannes tradit generalem doctrinam; non particularem aliquem effectum Chriſti. Itaque dixit, non indefinitè, baptizabit Spiritu, & igne: ſed definitiùs, *baptizabit vos,* Matthæi 3. At illud in Pentecoſte nunquam iteratum: nunquam communicatum niſi paucis admodum tunc præſentibus. Barradius. *Ioannes de omnibus loquitur: non ſunt autem omnes igne illo baptizati.* Itaque Chryſoſtomus metaphoram agnoſcit, & explicat; homilia 11. in Matthæum. αὐτῇ τῇ μεταφορᾷ τῆς λέξεως τὸ δαψιλὲς

τῆς

τῆς χάριτος ἐμφαίνων. *Ipſa tranſlatione ſermonis exprimens gratiæ largitatem: non enim dixit dabit vobis Spiritum ſanctum ſed baptizabit vos Spiritu ſancto:* καὶ τῇ ἐπεξηγήσει τοῦ πυρὸς, πάλιν τὸ σφοδρὸν καὶ ἀκατάσχετον τῆς χάριτος ἐνδεικνύμενος. *Et addita explicatione,* per epexegeſin *ignis, rurſus gratiæ vehementiam expreſſit & vim quæ cohiberi nequeat.* Toletus in Lucæ 3. *Quinta ſententia eſt, hunc ignem eſſe eundem Spiritum Sanctum quatenus non ſolum ſanctificat, ſed purgat animam à ſordibus, inflammatq; charitate, & illuſtrat hominum mentes.* Autores addit Euthymium, Druthmarum, Cyrillum Alexandrinum, Hieronymum, Leonem. Similiter Stella in Lucæ 3. *Ignem nõ ſumit pro igne materiali, ſed pro igne intelligit Spiritum Sanctum, qui mẽtem inflammat: ſicq; coniunctio* ET *tenetur expoſitiue.* Barradius tomi 2. lib. 1. c. 6. *Chriſtus Spiritus S. flammis ardente aqua, plurimumq; efficacitatis habente vos baptizabit Ipſe vos baptizabit Spiritu Sancto, & igni eiuſdem Spiritus id eſt, baptizabit vos Spiritu Sancto qui ignis eſt.* Ianſenius Concordiæ c. 13. *Per ignem hic intelligitur ipſe Spiritus Sanctus. Ignis enim recte dicitur propter vim & efficaciam ipſius.* Imo ſic opus eſt ab omnibus intelligi, quibus pro certo eſt comparari Baptiſmum Ioannis Baptiſmo Chriſti. Nam certe ignis ille Pentecoſtes, non fuit in Baptiſmo. Nihil ergo Caluino peccatum.

XLIII. Tertium erat argumentum. Non eſſe inſolens copulam exegitice ſumi, cum ſcilicet poſterius membrum, explicatio eſt prioris.

*XLIV.* Stapletonus. Iuxta has Caluini regulas, quicquid in Scripturis coniunctiue profertur, non rerum diuerſarum enuntiatio, ſed rei eiuſdem explicatio erit; quoties ita rem accipere contra totius Eccleſiæ iudicium, & omnium Patrum conſenſum cuicunque libeat.

*XLV.* Impudens calumnia. Nam Caluinus hoc loco nullam aut firmauit, aut indicauit regulam generalem. Quis enim illud, *Non eſt inſolens* interpretatus eſt vnquam, ac ſi dictum: ſemper ita fit; imo, nunquam aliter faciendum. An potius præ iræ impotentia non erat apud ſe Sophiſta? Itaque Caluinus hoc tantum voluit; non inſiſtere ſe viam aliquam nouam, & nũquam vſitatam. Breuiter idem dixit quod Stella, imo, quod ante Stellam Chryſoſtomus, Copulam, *Et* explicatiue ἐπεξηγητικῶς ſumi. Quod multis locis fieri, expecto dum auſit negare Sophiſta.

*XLVI.* Poſtremum Caluini argumentum: contextum etiam ſuffragari. Nam cum mox rationem Chriſtus ſubiicit, cur nos renaſci oporteat, præterita aquæ mentione, ſolo Spiritu quam exigit vitæ nouitatem conſtare docet.

*XLVII.* Stapletonus. Eodem, inquit, argumento baptiſmum in vniuerſum explodere licebit; ex ipſo contextu verborum Chriſti: quia cum prius dixiſſet, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit*; poſtea, præterita Baptiſmi mentione, dixit, *Qui non crediderit, condemnabitur:* vnde ſequitur fidem & Baptiſmum, pro eodem accipi oportere.

*XLVIII.* Agnoſcin' perpetuum cæcutientis iræ impetum? Nam quid eſt baptiſmum explodere? Aut quis ita loquutus, præter virulentum calumniatorem? Sciebat Caluinus, non omnium locorum eandem eſſe rationem: & huic loco ea opponi abſurda, quæ caueri nequeant, niſi aqua metaphorice exponatur, ac per ἐξήγησιν. Si eadem, aut ſimilia opponantur alteri, non dubium, quin ſimile futurum ſit iudicium. Sed non ſunt pares. Nam alter affirmatiuus eſt, quem non labefactat vlla inſtantia: alter negatiuus, ac proinde reciprocus. Itaque nullum incommodum eſt; cum dicitur, *Quicunque crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit:* neque vllum eſſet ſi dictum; ſi quis regenitus fuerit ex aqua & Spiritu ingredietur regnum Dei. Potuit igitur in tanta diſſimilitudine Caluinus non vereri incommoda Stapletonicarum conſequentiarum: & deferre argumento, vt non per ſe demonſtratiuo, at certè εἰκαστικῶς, nec cum aliis collato, inutili.

XLIX. Caluino quidem videbatur ea potior eſſe ſolutio: non neglecta tamen alia, cui videtur potius acquieuiſſe Bucerus, & Aretius. Nam iſtis viſum aquam intelligendam κατὰ τὸ ῥητὸν Sacramentalem: itaque propriè de Baptiſmo Saluatorem eſſe loquutum. Hi reſpondent diſtinguendum ſignum à re ſignificata: & vtrumque cenſendum ſeorſim. Spiritum quidem abſolutè neceſſarium; ſine quo nulla ſit regeneratio. Aſt aquam κατά τι, nimirum; vt in Euchariſtia; de qua dictum, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in nobis.* Vbi etſi panis & vini nomina non audiantur, tamen audiuntur verba manducandi, & bibendi, quæ alludunt ad ritum Sacramentalem. Et tamen, conſtituta neceſſitate rei ſignificatæ, non ſtatuitur neceſſitas ritus Sacramentalis.

L. Hanc ſolutum per me quidem qui poteſt capere, capiat: ego me nego conſequi poſſe: ſiue ea rei culpa eſt, ſiue tarditatis meæ. Neque verò locos ſimiles eſſe poſſum concipere. Nam in comedenda carne Chriſti, & bibendo ſanguine; tam manifeſta metaphora eſt, quàm in renaſcendo per Spiritum: itaque: reſpondent renaſci, & manducare, bibereque: item Spiritus, & caro & ſanguis: ſed ſi aquam ſumas Sacramentaliter; nihil eſt quod ei reſpondeat. Viderint ergo, qui ſibi eam partem ſelegerunt. Ego præſtare non poſſum.

LI. Pergo ad alia Papiſtarum argumenta. Quartum ergo ex Suare & Feuardentio; ſumptum ab originis peccato: omni nato in peccato originali, & ideo filio iræ, neceſſarius eſt ad ſalutem Baptiſmus fluminis. Aſt omnis homo, etiam infans, natus eſt in peccato originali, & filius iræ. Ergo omni homini etiam infanti, neceſſarius eſt ad ſalutem baptiſmus fluminis. Probatur maior à Suare, quia quicunque ſic natus, indigeat aliquo remedio, quo & ab illo peccato liberetur, & Chriſto liberatori ſuo vniatur: in lege autem noua hoc medium à Chriſto inſtitutum, Baptiſmus ſit. Item ex euentu. Quia in omni lege fuerit neceſſarium aliquod Sacramentum fidei, ad hunc effectum, in vno quoque ſtatu tempori accommodatum. Feuardentius maiore neglecta, totus eſt in probanda minore, tum ex conſenſu, atque adeo profeſſione noſtra, tum aliquot argumentis.

LII. Reſpondeo, minorem eſſe prorſus extra controuerſiam; itaque ſuperfluè demonſtrari à Feuardentio; aut alio quoquam aduerſum nos diſputante. Contra Pelagianos ita oportuit: nam aduerſum nos ſi malint, certè oderunt gratis. Nam Pelagianos odimus cane peius & angue. Viderint Papiſtæ, an nihil illis affines ſint, qui alij infantibus beatitatis aliquod genus audent polliceri poſt hanc vitam, quantumuis reis originalis labis: alij ſaltem non pœnas æternæ damnationis; vnde nobis aliàs diſputatio fuit.

LIII. Negamus ergo maiorem. Nam ſi omnino talibus neceſſarius



Baptiſmus eſt; Ergo abſque eo nullus eriperetur à damnatione. Aſt hoc falſum: quia & ante inſtitutum Baptiſmum plurimi: & poſt inſtitutum, non pauci: ſaltem profitentibus aduerſariis, per Baptiſmum flaminis, & ſanguinis. Ergo prius falſum.

LIV. In probatione prima, conceditur neceſſarium eſſe aliquod remedium aduerſus originale peccatum. Conceditur Baptiſmus eſſe inſtitutus ad remedium contra id peccatum. Sed inde qui concludat, Ergo neceſſarium eſſe Baptiſmum, is nihil niſi magnas nugas aget; concludens affirmatiuè in ſecunda figura. Etenim baptiſmus, neque ſolum, neque præcipuum eſt remedium; ſed duntaxat Sacramentale, id eſt externum: ac proinde non abſolutè neceſſarium: cuius abſentia non aufert neceſſariò gratiam Dei: in qua verum eſt, & proprium, & vniuerſale remedium.

LV. In altera: falſum eſt in vnaquaque lege inſtitutum fuiſſe aliquod ſignum externum, ſiue Sacramentale, ſine quo peccatum originis nunquam dimitteretur. Nam in lege quam dicunt naturæ nullum oſtendere potuerunt Sophiſtæ: ſed tantum diuinarunt, ex euentu in lege Moſaica, Chriſtianáque: quodnam autem fuerit, adhuc ſunt in quærendo. Ne in lege quidem Moſaica probatur abſoluta neceſſitas: imò refutabitur ſuo loco, ex infantibus denatis ante octauum diem: & non circunciſis etiam adultis in deſerto.

LVI. Quintum argumentum ex Alfonſo de Caſtro. Nullus poteſt, neque vnquam potuit aſſequi gratiam, niſi præueniente aliquo bono animæ affectu proprio, aut alieno, aut per viam Sacramenti, aut ex priuilegio aliquo particulari. At paruuli ante baptiſmum mortui, ſiue in vteris, ſiue pòſt, nullo iſtorum modorum iuxta legem communem à Deo datam, potuerunt habere gratiam. Ergo ſine illa ſaluari non potuerunt. Probat aſſumptum à remotione partium. Non per Sacramenta: quia ſine præeunte baptiſmo; nullum Sacramentum conferri poteſt. Non per proprium motum, quia ſint vſus rationis penitus expertes. Non per merita aliorum, ne parentum quidem: quia nullus purus homo poſſit alteri mereri primam gratiam, ſine illius aliquo voluntatis motu. Quare, nullum, inquit, eſt medium, per quod paruuli ſine baptiſmo morientes poſſint aſſequi gratiam, & per conſequens vitam æternam.

LVII. Reſpondeo: maiorem propoſitionem eſſe falſiſſimam, & contra diſertiſſimam Scripturam. Quæ docet nos, gratiam eſſe eam qua dilexit nos Deus; ad Epheſios 2. *Deus diues miſericordia, propter multam caritatem ſuam qua dilexit nos.* Eſt autem miſericordia, caritas, dilectio Dei, æterna: quia ſunt eiuſdem voluntas, ſiue eius voluntatis actiones immanentes: itaque nunquam mutabiles. Quòd ſi æterna ſit gratia, ergo neceſſariò præcurrit omnem bonum voluntatis motum, ſiue proprium, ſiue alienum: omne etiam Sacramentum: ac proinde per ea media non poteſt obtineri. Propterea Paulus ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo* πρὸ καταβολῆς κόσμου, *antequam iacerentur fundamenta mundi*; id eſt, ab æterno. Quare dicendum potius, aut nunquam obtineri gratiam, aut obtineri abſque his mediis. Vnde conſequens, non eſſe impoſſibile, aliquem ſeruari, abſquè iiſdem mediis.

LVIII. Præterea argumentum non concludit vniuerſam theſin: ſed tantùm ſpectat ad infantes: relinquit ergo integram, quæ pertinet ad adultos; in quibus dari poſſunt ſaltem boni voluntatis motus, non ij quidem cauſa gratiæ; ſed tamen præcedentes Sacramenta; vt in Cornelio centurione. Hæc autem vna ſufficit exceptio aduerſus hanc de qua diſputamus Sacramenti neceſſitatem. Atqui hos bonos motus præcedit gratia, quam propterea præuenientem indigetarunt Theologi. Altenſtaig, *Dicitur enim gratia præueniens, inquantum ipſam voluntatem facit bonam, & ideo præuenit, quia non eſt à libero arbitrio, ſed potius infunditur ab ipſo Deo.*

LIX. Sextum argumentum eſt ab autoritate Eccleſiæ: ſed variè. Primum hoc eſto ex Alphonſo de Caſtro. Quia ſemper definitum, infantibus adminiſtrandum eſſe Baptiſmum. At nunquam, inquit, fuiſſet factum, ſi putatum eſſet eos ſine Baptiſmo ſaluari poſſe. Quoniam melius tunc fuiſſet differre vſque ad adoleſcentiam, vt ſuo arbitrio, non ex alieno, ſuóque ore fidem confiterentur, non alieno.

LX. Reſpondeo argumenti vim nullam eſſe. Nam nos ipſi, qui huiuſmodi neceſſitatem negamus, tamen contendimus, & ſolidè diſputamus infantes eſſe baptizandos. Negamus itaque conſultius fore expectari adoleſcentiam: quia noſtrum non eſt denegare ſignum aquæ, iis ad quos iure pertinet promiſſio, cuius gratia illud eſt inſtitutum. Neque enim ipſi ſumus Sacramentorum inſtitutores; neque inſtitutionem liberam habemus vel obſeruare, vel violare. Vno denique verbo; quomodo definitum eſt, nemini adulto denegandam eſſe Baptiſma: & tamen non præſcriptum, neminem abſque eo ſaluari: ſic, etſi conſtitutum infantes baptizandos eſſe, tamen nullum debuit diuinæ maieſtati præiudicium fieri, quominus etiam ſine Baptiſmo ſeruare poſſit infantes.

LXI. Alterum ita eſt, apud eundem Alfonſum. Nunquam hactenus Eccleſia pro paruulis ſine Baptiſmo decedentibus orauit, neque pro illis vllas fecit oblationes, neque illos ad Eccleſiaſticam admiſit ſepulturam. Ergo infantibus neceſſarius eſt Baptiſmus ad ſalutem. Ratio conſequentiæ. Quicunque ſaluantur pertinent ad Eccleſiam. At non baptizati, non pertinent ad Eccleſiam. Ergo non ſaluantur. Aſſumptum patet; quia nunquam pro infantibus omiſiſſet Eccleſia precari, ſi illos ad ſe pertinere crediſſet.

LXII. Reſpondeo, poſſe de antecedente diſputari. Certè enim nulla prohibitione conſtant, quæ in eo tanquam certa ponuntur. Deinde eadem ad ſuperſtitionem pertinent ad inductam in Eccleſiam, nullo legitimo principio; ſed mero pruritu humanæ prudentiæ. Veruntamen, diſputandi de iis alius locus eſto. Nunc nego conſequentiam. Hæc enim de neceſſitate quæſtio, non eſt iudicanda ex Eccleſiæ ordine, aut conſtitutionibus: ſed ex miſericordia diuina: quæ ſe ipſam addixit nunquam ei ordini, quem hominibus præſcriptum voluit.

LXIII. Quicunque ſaluentur pertinere ad Eccleſiam, ambiguè dictum. Nam Eccleſiæ conſideratur vnitas, vel ordo. Pertinent ad Eccleſiæ vnitatem, omnia membra Chriſti: nam Eccleſia eſt corpus Chriſti. Pertinent ad Eccleſiæ ordinem, ij quibus per hominum miniſterium Deus vult ſalutem communicare: ac proinde quos oportet in externa Eccleſiæ ſocietate viuere. Priore illo ſenſu concedimus omnes ſeruandos pertinere ad Eccleſiam; At poſteriore, negamus. Et ſanè videntur non auſi penitus negare

aduerſarij. Nam Alfonſus, *Nullus poteſt, neq; vnquam potuit aſſequi gratiam, niſi præueniente aliquo bono ab anima affectu proprio, aut alieno, aut per viam Sacramenti, niſi cui fortè ex priuilegio aliquo particulari, Deus abſq; his tribus, miſericorditer concedere voluit: ſicut fuit Ioannes Baptiſta, & Hieremias, & alij ſimiles in ventre matris ſanctificati.* Vbi vides exceptos aliquos ab ordine, per peculiarem miſericordiam. Quid ergo ſunt importuni?

LXIV. Poſtremò, multi ſunt in recitandis tum publicis decretis, tum priuatis χρείαις veterum; vnde conſtet traditum, infantes perire ſi abſque Baptiſmo de hac vita decedant. Sic in Concilio Carthaginenſi & Mileuitano apud Auguſtinum Epiſt 90. & 92. Sic in Decretalibus Romaniſtarum Pontificum Syricij prima; Innocentij primi 26. Leonis primi 80. Sic in reliquis Patribus. Irenæo, libri 3. c. 19. Origene, in 6. ad Romanos. Nazianzeno Oratione 40. Baſilio, 13. Cypriano, Epiſt. 59. Ambroſio libro 2. contra Pelagianos. Auguſtino, 1. de peccatorum meritis & remiſſione c. 16. 23. 24. & 27. Item Epiſtola 20. & 28. & lib. 2. de Origine animæ c. 2. & lib. 3. c. 9. Proſpero, 2. de Vocatione Gentium c. 8. Fulgentio, de fide ad Petrum c. 30. Bernardo, ſermone 66. in Cantica. Petro Cluniacenſi contra Petrobruſianos.

LXV. Reſpondeo: primùm horum locorum nonnullos induci præter rationem. Certè Concilium illud Carthaginenſe apud Auguſtinum Epiſtola 90. tantùm definiit, *Quicunque neget paruulos per Baptiſmum Chriſti à perditione liberari & ſalutem percipere ſempiternam, anathema ſit.* At quis non videt, quàm ſit hoc longè ab inſtituto noſtro? multumque differre eum qui dicat conſtare ſalutem baptizato; ab eo qui neget conſtare niſi baptizato? Apud Irenæum legi, *Corpora noſtra per lauacrum illud, quod eſt ad incorruptionem, vnitatem acceperunt; animæ autem per Spiritum:* & inde ſcio Feuardentium, religioſi ſcilicet ingenij virum, obſeruaſſe neceſſitatem Baptiſmi: ſed ego me Dauum profiteor, non Oedipum: certè obtuſiorem, quàm vt videam vim ſophiſmatis. Quanquam in ipſo Irenæo velim mihi explicari, quid ſit, *corpus accipere vnitatem*: non enim potis ſum concoquere: etſi videam diſparare vim aquæ, à vi Spiritus. In Origene, quid huc pertineat velim conſtantius indicari; nam ego quidem obſeruare non potui, viderint alij.

LXVI. In reliquis plus ſpeciei. Et ſcimus ſanè multa paſſim legi de neceſſitate Baptiſmi; quæ videantur, non quamlibet, ſed præciſam deſignare. Certè Ambroſius vix veniam obtinebit vel apud Papiſtas iudices: qui non hoc tantùm, *Nemo aſcendit in regnum cœlorum, niſi per Sacramentum Baptiſmatis:* ſed etiam rotundè, *Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei. Vtique nullum excipit, non infantem, non aliqua præuentum neceſſitate:* Cum tamen nemo ſit Papiſtarum, qui non exceptiones admittat, & quidem illam communem neceſſitatis. Quid? quod ſubiicit, *Habeant tamen illam opertam pœnarum immunitatem: neſcio an habeant regni honorem?* Cui ſimilis Nazianzenus, eos qui οὐδὲ εἰσὶν ἐν δυνάμει τοῦ δέξασθαι ἢ διὰ νηπιότητα τυχὸν, ἤ τινα τελέως ἀκούσιον περιπέτειαν, ἐξ ἧς οὐδὲ βουλομένοις αὐτοῖς ὑπάρχει τυχεῖν τοῦ χαρίσματος: *ne accipere quidem poſſunt, vel propter infantiam fortaſſe, vel inopinatum prorſus & violentum aliquem caſum, quo efficitur, vt ne cupientibus quidem gratia potiri liceat:* hos, inquam, Nazianzenus denuntiat, μήτε δοξασθήσεσθαι, μήτε κολασθήσεσθαι παρὰ τοῦ δικαίου κριτοῦ, *nec cœleſti gloria, nec ſupplicijs à cœleſti iudice affectum iri.* Quæ neque tolerabilia ſunt iis apud quos nullus medius ſtatus eſt inter regnum cœlorum, & ſupplicia: neque excuſabilia, quibus exceptiones ſunt flaminis, & ſanguinis ſaltem.

LXVII. Quòd ſi iſta tam præciſa; iſta tam durè dicta; tamen exceptionem admittunt, alia certè molliora, non poterunt excludere. Et quæ contra Pelagium diſputata ſunt maximè, ab Auguſtino, Auguſtinumque ſequutis: quibus propriè non de Baptiſmi elemento controuerſia erat, ſed de gratia diuina, quam hæretici negabant eſſe aduerſum peccata neceſſariam, quæ ipſa funditus tollebant ab infantibus, aduerſum quos erat à Baptiſmo argumentum potentiſſimum.

---

## Cap. X.

### *Contra Baptiſmi neceſſitatem præciſam argumenta Catholica.*

I. Contrà Catholici diſputant nudam priuationem elementi neminem arcere à ſalute æterna, ſiue regno cœlorum. Primò. Si nemo ſeruandus eſſet non baptizatus: Ergo ſine Baptiſmo gratia vel nulla eſſet, vel non efficax. At conſequens vtrumque falſum: Ergo & antecedens. Conſequentia per ſe patet.

II. Conſequentis pars prior impugnatur rationibus certis. Ratio prima. Quorumcunque eſt regnum cœlorum: eos gratiam habere neceſſe eſt. At quorundam non baptizatorum eſt regnum cœlorum: Ergo quidam non baptizati habent gratiam. Maior patet: quia omnes naſcimur filij iræ: inde damnationis rei. Itaque nullius poteſt eſſe regnum cœlorum abſque gratia. Quanquam hanc partem non oportet nunc diſputari, omnino certam, cùm apud Catholicos, tum apud Papiſtas. Minor probatur Chriſti autoritate. Matthæi 19. *Tunc oblati ſunt ei pueruli, vt manus eis imponeret, & precaretur; diſcipuli autem obiurgarunt eos. Ieſus autem ait, Sinite pueros, & ne prohibete eos ad me venire: talium eſt enim regnum cœlorum. Et cùm impoſuiſſet eis manus, profectus eſt illinc.*

III. Reſpondet Gregorius de Valentia; addendam conditionem, ſi regenerentur in Chriſto.

IV. Imò, inquam, non ſi regenerentur, ſed ſi ſint regeniti. Illo ſignificatur aliquod non tam futurum, quàm incertum: iſto autem diſcrimen inter infantes: quorum qui non ſunt in Chriſto regenit, ad Chriſtum non pertinent, neque ad eos regnum cœlorum: alij verò ſunt per gratiam regeniti. Sed non eſt tamen, quòd de vocularum momento pertinaciter digladiemur: nam etiam illud *ſi regenerentur*, poteſt commodè exponi. Concedamus ergo neceſſariò ſupponendam regenerationem. Sed eos quorum ſit regnum cœlorum, nondum eſſe regenitos: aut nullos eſſe regenitos, niſi baptizatos, prorſus abſurdum: quod poſtea videbimus. Interea conſtat, aliquorum eſſe regnum cœlorum, qui tamen non ſint baptizati. Atqui hæc phraſis, plenum ius deſignat futuræ poſſeſſionis: quod abſque ſuppoſita gratia ne cogitari quidem poteſt. Nam ad Rom. 6. τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ, *Donum Dei*, vt vertit Beza; ſiue *Gratia Dei*, vt vulgata editio: nos poſſumus, *Donum Dei gratuitum, vita æterna.*

V. Ratio ſecunda. Si nemo habet gratiam ante Baptiſmum: Ergo ante Baptiſmum nemo amatur: At falſum poſterius: Ergo & prius. Conſequentia patet: quia amor Dei non eſt à natura: quandoquidem omnes ſumus filij iræ. Itaque à gratia. Probatur aſſumptum: ad Roman. 9. *Nondum natis pueris, quum nihil feciſſent boni vel mali, vt propoſitum Dei, quod eſt ſecundùm electionem, id eſt, non ex operibus ſed ex vocante firmum maneret, dictum eſt ei, Maior ſeruiet minori: ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau verò odio habui.* Vides Iacobum fuiſſe dilectum ante Baptiſmum, imò ante Circunciſionem.

VI. Quòd ſi dilectus: Ergo reconciliatus: ſi reconciliatus, ergo in gratia. Nam ſi non in gratia; ergo in ira, ſiue odio, ſi in ira; ergo non reconciliatus, ergo non dilectus. Cùm igitur non poſſit eſſe dilectus, ſine gratia: profectò neceſſe eſt eſſe in gratia, quicunque dilectus. Ad Rom. 5. *Si quum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, multo magis conciliati ſeruabimur per mortem ipſius.*

VII. Ratio tertia. Si nullus habet gratiam ante Baptiſmum: Ergo cùm baptizatus obtinet gratiam, hæc de nouo incipit, quæ nuſquam fuit. Atqui hoc abſurdum: Ergo & illud. Conſequentia manifeſta. Aſſumptio autem probatur: quia gratia Dei eſt amor, quo Deus amat peccatorem. Aſt amor Dei, eſt voluntas Dei. Quare ſi gratia tunc recens incipit, etiam amor Dei, ac proinde voluntas. At voluntas Dei, eſt actus immanens, quare in ipſo Deo aliquid recens eſſe inciperet, quod nunquam antea fuiſſet, & ſic Deus eſſet mutabilis. Quod directè eſt contra naturam Dei. Iacobi 1. παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα: *apud Deum non eſt tranſmutatio, aut conuerſionis obumbratio.*

VIII. Ratio quarta. Quicunque ſanctificatur obtinet gratiam. Aſt aliquis ſanctificatur ante Baptiſmum: Ergo aliquis ante Baptiſmum gratiam obtinet. Maior non eget probatione, vel apud Papiſtas. Minor non poteſt negari; quoniam ſunt exempla in promptu. Primò, Hieremiæ, & Ioannis Baptiſtæ, quos fatentur Papiſtæ in vtero matris fuiſſe ſanctificatos. Et habuerunt è Scriptura. Nam Hierem. 1. *Priuſquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua ſanctificaui te.* Lucæ 1. *Et Spiritu ſancto implebitur etiam ab vtero matris ſuæ.*

IX. Addimus nos Samſonem, de quo illud eſt, Iudicum 13 *Paries filium: & nouacula non aſcendet ſuper caput eius, quia Neziræus Dei erit puer ab vtero.* Nam etſi Nazarei votum erat ceremonia quædam apud Iudæos tamen diſtinguendum inter ſuſceptam ab hominibus, & impoſitam à Deo. Illa enim potuit abſque efficacia eſſe intrinſeca, ſed hæc non potuit. Addimus Dauidem. Pſalmo 71. *In te ſuſtentatus ſum ab vtero: è viſceribus matris meæ tu eductor meus.* Denique addimus Paulum ad Galat. 1. *Deus ſeparauit me ab vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam.*

X. Scio Hieremiam, & Ioannem à Papiſtis proponi tanquam eximios; & ex priuilegio, ſed nego habere ex vllis Scripturis. Nam etſi de iis peculiariter aſſertum; tamẽ non ideo priuilegium eſt. Nam & de Iacobo peculiariter dictum, fuiſſe dilectum Deo, antequam natus eſſet, quod tamen Paulus propoſuit tanquam argumentum probandæ vniuerſali doctrinæ, & pertinentis ad omnes prædeſtinatos. Tum autem hæc oporteret eſſe ſola exempla. Quod falſum.

XI. Rurſus exemplum eſt manifeſtum Cornelij Centurionis, & qui erant cum eo. Nam Actorum decimo dicitur Spiritus Sanctus in eos deſcendiſſe antequam acciperent Baptiſma, atque adeò Petrus inde ſumpſiſſe argumentum non differendi Sacramenti, *Adhuc loquente Petro illapſus eſt Spiritus Sanctus in omnes qui audiebant.* Et pòſt, *Num quis aquam prohibere poteſt, quominus baptizentur iſti, qui Spiritum Sanctum acceperunt ſicut & nos?* Quanquam altiùs licet aſcendere. Nam ante hoc momentum Cornelius erat *pius ac timens Deum, cum tota domo ſua; & præſtans eleemoſynas multas populo*; & aſſiduè precabatur Deum. Quod ſanè fieri non potuit niſi præueniente eum gratia Dei; vnde initium eſt omnis boni motus in homine. Quid? quòd ad eum pertinent, & eius gratia dictum fuit, *Quæ Deus purgauit, tu ne polluito*, id eſt, pollutum dicito?

XII. Hæc iam exempla non poſſunt eſſe nihili, quibus quis dubitet alia poſſe ſuperinduci? Nam & Catechumenos iam erubeſcunt aduerſarij negare, ita proficere poſſe, vt poſſint ſalutem obtinere ſi contingat præter ſpem priuari Baptiſmo. Certè Arnobium notant adhuc Catechumenum vehementes illos ſcripſiſſe libros, quibus ſe probaret Eccleſiæ, nonnihil ſuſpicanti. Sed & Auguſtinus ſe nondum baptizatum, & reliquiſſe quæ adeptus fuerat in cupiditatibus huius mundi, vel quæ adipiſci volebat; & contuliſſe ſe ad Chriſtianæ vitæ otium; nec ſcripſiſſe nulla, etiam hodie pietatem ſpirantia. Capite 1. libri 1. Retractationum. Sed & in Confeſſionibus expreſſit quos pios motus à Spiritu ſentiret in ſe excitatos; nondum initiatus.

XIII. Atque ita conſtat veritas membri prioris. Poſterius non demonſtrandum inter non inſanos. Dixit Innocentius tertius in Pſalmum 4. Pœnitential. *Fidemq; adultis ſine Sacramento proficere vbi Sacramentum non religionis contemptus, ſed articulus neceſſitatis excludit: Sacramentum verò Baptiſmi ſine fide adultis non valere.* Sed dixit prior & ſolidior Auguſtinus ſuper Leuiticum quæſt. 84. *Quomodo & Moyſes ſanctificat, & Dominus? Non enim Moyſes pro Domino: Sed Moyſes viſibilibus Sacramentis per miniſterium ſuum: Dominus autem inuiſibili gratia per Spiritum Sanctum, vbi eſt totus fructus etiam viſibilium Sacramentorum. Nam ſine iſta ſanctificatione inuiſibilis gratiæ viſibilia Sacramenta quid proſunt. Meritò autem quæritur, vtrùm iſta inuiſibilis ſanctificatio ſine viſibilibus Sacramentis, quibus viſibiliter homo ſanctificatur, pariter nihil proſit, quod vtiq; abſurdum eſt. Tolerabilius enim quiſque dixerit, ſine illis iſtam non eſſe, quàm ſi fuerit non prodeſſe, cùm iſta ſit omnis vtilitas illorum.* Et paulo pòſt, cùm exempla collegiſſet Moyſis, Baptiſtæ, Latronis, *Proinde colligitur, inuiſibilem ſanctificationem quibuſdam affuiſſe, atq; profuiſſe ſine viſibilibus Sacramentis.*

XIV. Sic conſtat omnibus his partibus argumentum: ſi enim detur

ſine

ſine Baptiſmo gratia efficax; ergo poteſt quis ſalutem conſequi abſque Baptiſmo. Et ſane cuiquam baptizato, quis potuit ſalutem diſertius, conſtantiuſve aſſerere, quam Ambroſius Valentiniano non baptizato? *Audio vos dolore quod non acceperit Sacramenta baptiſmatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis eſt niſi voluntas, niſi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit, vt cum in Italiam veniſſet, initiaretur, & proxime baptizari ſe à me velle ſignificauit: & ideo præ cæteris cauſis me accerſiendum putauit. Non habet ergo gratiam, qui deſiderauit; Non habet, quam propoſcit? Certe quia popoſcit accepit. Et vbi illud eſt, Iuſtus quacunque morte præuentus fuerit, anima eius in refrigerio erit?* Bene, quod non baptizato gratiam aſſeruit: ſed bene, quod epiphonemate clauſit & vniuerſali gnoma, ne priuatum quis priuilegium cauſetur.

XV. Aduerſarij veriſſimum concedunt: ſed in adultis, in quibus votum eſt, in infantibus negunt: quibus baptiſmi ſenſus nullus, nedum votum. Sed in his tamen, inquam, etiam ſanguinem ſubſtituunt pro flumine. Quid ergo? Maiorne iis ſenſus, votumve Baptiſmi, extinctis propter fidem, quam aliter morientibus? Quod ſi non ſit: ergo hæc iam altera exceptio eſt, vt ne pugnent; etiam ſine ſenſu, ſine voto Baptiſmi, quoſdam ſeruari. Et vero quæ paulo ante numerata ſunt ab vtero ſelectorum exempla rem firmant.

XVI. Sed inquiramus tamen vlterius. Certe ſi ad nullos infantes gratia pertingat abſque Baptiſmo: nulli etiam infantes abſque Baptiſmo pertinent ad fœdus diuinum: At hoc falſum: Ergo & illud. Conſequentia probatur, quia cum fœdus ſit, quo Deus acceptat homines in populum ſuum: hoc autem fieri nequeat abſque gratia: profecto abſque gratia nemo intelligitur ad id fœdus pertinere: Eſaiæ 55. *Feriam vobiſcum pactum ſempiternum, miſericordias Dauid fideles.* Ieremiæ 31. *Iſtud eſt fœdus, quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos, dixit Iehoua. Dabo legem meam in medio eorum, & in corde eorum deſcribam eam; & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum: nec docebunt vltra vnuſquiſque fratrem ſuum, dicendo cognoſcite Iehouam. Omnes enim cognoſcent me à minimo eorum, dixit Iehoua: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius.*

XVII. Aſſumptum probatur. Nam ſi nullus infans abſque Baptiſmo pertinet ad fœdus diuinum; ergo falſa ſunt verba fœderis. Geneſeos 17. *Et ſtatuam & pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis, fœdere ſempiterno, vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te.* Ratio conſequentiæ: quia hoc axioma, vel vniuerſale eſt, vel indefinitum. Si vniuerſale, ergo omne ſemen Abrahæ oportet eſſe in hoc fœdere, abſque exceptione. Sin autem indefinitum: Ergo ſi non omnes, ſaltem multos, ſaltem quoſdam. Nam ſi omnino nullos; cum vero ſiue vniuerſale ſit, ſiue indefinitum, non poteſt non eſſe falſiſſimum. Quod eſt abſurdum. Cum ſit autem certum, non vniuerſale: quia non verum omnes ex Abrahamo natos obtinuiſſe ſalutem, ſaltem oportet eſſe indefinitum.

XVIII. Eodem pertinet Circunciſio; quam nefas erat celebrari ante diem octauum. Non ſit veriſimile tamen; aut nullum infantem expiraſſe ante diem: aut quicunque expirarent, omnes damnatos fuiſſe. Nam & ipſi Papiſtæ ob eam cauſam inquirere auſi, nunquod iis remedium eſſet inſtitutum peculiare: quod etiam de fœminis quæſierunt. Quæ dubitatio ab eodem fonte nata, vnde hæc nunc neceſſitas, quam confutamus, quod ſcilicet exiſtimatum ſit, neminem ſeruare poſſe abſque externo remedio. At nos eodem fundamento vtramque reiicimus: quod Dei gratia poſſit abſque externa ope ſuis animabus prouidere. Alioquin quid ſpei futurum mortuis, antequam natis? Sed & in ipſis adultis nullus locus futurus flamini, ſi abſque æterno remedio perit omnis anima: nam quicquid dicas, tamen non eſt externum quid.

XIX. Sed & Paulus 1. ad Corinth. *Maritus infidelis ſanctificatus eſt in vxore. & vxor infidelis ſanctificata eſt in viro: alioquin certe liberi veſtri ἀκάθαρτα impuri eſſent, nunc autem ſancti ſunt.* Quibus verbis manifeſtum eſt liberos fidelium parentum; imo etiam alterutrius parentis fidelis, ſanctos eſſe; Quod etſi vniuerſale non ſit enuntiatum, tamen non poteſt non eſſe indefinitum, & nihilominus verum.

XX. Longa hæc materia eſt: & Papiſtis vehementer impugnata. Primum illa de fœdere; ſecundo de non circunciſis: tertio de liberis ſanctis. Quæ nos oportet non relinquere indiſcuſſa. De fœdere ergo dicunt primo, nullam fuiſſe promiſſionem remiſſionis peccatorum, ſed peculiaris protectionis & gubernationis, ac terrenæ felicitatis. Sic Bellarminus, ſic Stapletonus, ſic Beccanus.

XXI. Sed Vaſques contradicit, & diſerte, *Eo loco,* inquit, *non tantum Deum promiſiſſe peculiarem curam, & protectionem terrenæ felicitatis Abrahæ & ſemini eius: ſed remiſſionem etiam peccatorum, & vitam æternam, licet ſub figura terræ peregrinationis, vt conſtat ex illo ad Hebræos 11. & ſiquidem ipſius ipſius meminiſſent, de qua exierunt, habebant tempus reuertendi: nunc autem meliorem acceperunt, id eſt, cœleſtem: ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum, parauit enim illis ciuitatem, nempe cœleſtem. Senſus eſt, Abraham, Iſaac, & Iacob, cum ſe fatebantur peregrinos eſſe, non ſolum ſe peregrinos à Meſopotamia, vnde exierunt, ſed etiam à cœleſti patria, quam ſibi promiſſam inquirebant, confeſſos fuiſſe: quia ſciebant ſibi à Deo cœleſtem patriam fuiſſe præparatam. In illa igitur promiſſione Geneſeos 17. vbi promiſſa fuit Abrahamo & ſemini eius peregrinationis terra intellexit Abraham, promiſſam ſibi quoque eſſe cœleſtem beatitudinem.*

XXII. Et vero mirum eſt potuiſſe quicquam ſimile in mentem venire, cui ſit Abrahami vita non incognita. Nam certe promiſerat Deus, ſe futurum eius Deum; non tantum ſeminis eius. Si ergo de felicitate terrena nec niſi de ea promiſſio eſſet, tum vix vllus ad eum fructus rediſſet, non ad filium Iſaacum, non ad Iacobum, qui agnouerunt ſe non tantum peregrinos, ſed etiam infelices. Nam Iacobi verba fuere Geneſ. 47. *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum ſunt, parui & mali.* Aut igitur in iis mendax fuit promiſſio, quod horrendum cogitatu, vel non tota fuit de temporali felicitate; etiam ſecundum literam.

XXIII. Nam illud, *Deus tuus & ſeminis tui.* Chriſtus directe exponit de felicitate poſt hanc vitam; Matthæi 22. *De reſurrectione mortuorum, non legiſtis quod nobis dictum eſt à Deo, dicente, Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob? Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium.* Itaque fœdus conceptum his verbis; *Ero Deus tuus, & ſeminis tui:* perperam explicatur de terrena felicitate, ſiue præcipua, ſiue ſola. Agnoſco ſtatim annecti promiſſionem terræ Canaan, ſed hoc nullum argumentum eſt excludendæ beatitudini cœleſti. Non enim id fœdus eſt, ſed fœderis appendix: nempe, vt pietati factæ ſunt promiſſiones vitæ præſentis & futuræ; teſte Paulo 1. Tim. 4.

XXIV. Et ſane ipſos illos aduerſarios oportuit concedere ſaltem myſtico ſenſu promitti hoc loco remiſſionem peccatorum, ac vitam æternam. Quid ergo? Iterum reſpondent: Bellarminus, hanc promiſſionem ad nos deſcendere, non per carnalem, ſed per ſpiritualem generationem: ſic enim Apoſtolorum docere ad Romanos 4. & 9. ad Galat. 3. & 4. eos eſſe Abrahæ filios, non qui carnis, ſed qui filij fidei. Tunc ergo incipere nos eſſe filios Abrahæ, cum incipimus eſſe fideles. Infantes autem incipere eſſe fideles, cum baptizantur, teſte Auguſtino primi de peccatorum meritis & remiſſione capite 27. Id confirmari ratione. Non enim poſſe nos fieri filios Abrahæ per carnalem generationem, cum parentes noſtri ab Abraham non deſcenderint: ſed quia Chriſtus ſit vere filius Abrahæ, tunc nos etiam fieri filios Abrahæ, cum incipimus eſſe CHRISTI, ſiue filij, ſiue fratres: id autem fieri per Baptiſmum. Itaque Gregorius de Valentia addit, hinc concludi potius neceſſitatem Baptiſmi.

XXV. Atqui primo, non refutatur argumentum. Nam ſi daremus non pertinere hoc fœdus ad illos Chriſtianos; tamen exemplum eſſet potentiſſimum. Neque enim fœdus, ad quod Chriſtiani pertinent, durius eſt fœdere iſto, quo fruebantur Iſraelitæ: neque cauſa eſt, cur excludantur à ſuo fœdere liberi Chriſtianorum: magis quam à ſuo liberi Iudæorum. Cum ergo conſtet liberos Iudæorum comprehenſos fuiſſe in fœdere: omnino inhumanum fuerit omnes infantes Chriſtianorum excludi.

*XXVI.* Deinde concedo nos eſſe filios Abrahæ ſecundum fidem, non autem ſecundum carnem. Concedo igitur non propagari ad nos hoc fœdus per carnalem generationem. Quid tum autem? Nam ne apud Iudæos quidem. Alioquin, quia omnes ſecundum carnem nati, erant ſemen Abrahæ, omnibus etiam oporteret remiſſa peccata; omnium fuiſſe vitam æternam. Quod eſt manifeſte falſum. Itaque quæ Paulus dicit, de filiis fidei: non ſunt peculiaria Chriſtianis, ſed communia etiam Iudæis; quorum pleroſque non approbauit Deus, prioris ad Corinthios decimo. Quorum nonnullos Chriſtus negauit eſſe filios Abrahæ, imo aſſeruit filios Diaboli, Ioannis 8. Roman. 9. *Non omnes qui ſunt ex Iſraele, ſunt Iſrael Neque quia ſunt ſemen Abrahami, ideo omnes ſunt filij: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Hoc eſt, non qui filij carnis, ij Filij Dei: ſed qui ſunt filij promiſſionis, cenſentur in ſemine.*

*XXVII.* Quid ergo habent de nobis concludere; quod non de ipſo illo Abrahami ſemine? Abrahami filij, & huius & fœderis iure iidem erant Dei filij: & tamen non erant Dei filij per carnalem generationem, neque tamen non Dei filij ante circunciſionem: cur non minus hodie ante Baptiſmum?

*XXVIII.* Sed nulli filij Dei, niſi fideles. Quomodo, inquam, fideles? Actune, an potentia? Nam ſi actu; negatur. Etenim ne baptizati quidem infantes, actu fideles: quia nemo credit niſi compos rationis. Sin autem potentia, nihil contra nos: nam ſic fideles ſunt omnes, qui filij Dei: ſic fidelis fuit Iacob, qui amatus Deo antequam natus: ſic fideles Hieremias, Bapiſtes, alij in vtero ſanctificati.

XXIX. De Circunciſione, habet Alfonſus de Caſtro peculiare reſponſum. Firmiter negamus, inquit, paruulum Iudæum ante Octauum diem mortuum ſine Circunciſione poſſe ſaluari. Quia eſt contra Scripturam, dicentem, *Maſculus cuius caro præputij circunciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo,* hoc eſt in libro viuentium non ſcribetur, nec connumerabitur in populo Dei. Nam ob hanc ſolam cauſam Salomon dicit ſe fuiſſe filium vnigenitum matris ſuæ, quamuis alium maiorem peperiſſet Berſabe mater ſua ex adulterio: nempe quia ante Circunciſionem mortuus, non habuit magis nomen apud Deum, quam ſi non fuiſſet genitum.

XXX. Sed firmiter id negauit Alfonſus, quod omnes alij negare horruerunt. Biel in 4. diſtinct. 1. quæſt. 4. artic. 2. concl. 1. *Circunciſio fuit maſculis de domo Abrahæ de neceſſitate ſalutis, niſi excuſaret impoſſibilitas, aut diſpenſatio Dei ſpecialis.* Et aliquanto poſt, *Adduntur duæ exceptiones, vna, vbi excuſaret impoſſibilitas, ſcilicet parendi præcepto Circunciſionis octauo die fiendæ, quæ additur propter pueros ante octauam diem defunctos. De illis quidam dixerunt, de quorum numero videtur fuiſſe magiſter, ſicut nunc ante Baptiſmum defuncti in peccato originali perierunt.* Et paulo poſt, *Sed hoc dictum nimis durum eſt; nec veritati conſonum, quod maſculi ante octauam diem nullum haberent remedium ſalutis contra originalem culpam: & fuiſſent deterioris conditionis ſub lege Moyſi, quam ſub lege naturæ, & ſimiliter quam femellæ.* Itaque nec Bellarminus pugnat: nec alij, non Pererius in Geneſeos 17.

*XXXI.* Et ſane contra Scripturam aſſeri falſum eſt. Nam etſi dictum, maſculum cuius caro præputij non ſit circunciſa, periturum: tamen ea pars legis intelligenda ex tota lege. Erat autem prius dictum, *Infans octo dierum circuncidetur in vobis.* Itaque ſubintelligenda eadem temporis circunſtantia repetita ex ſuperioribus.

*XXXII.* De Salomone; vnigeniti nomen eſt à Latino interprete à quo decipi Alphenſum facile fuit, Græce, Hebraiceque imperitum. Salomo dixit, *Filius fui patri meo: tener* ויחיד לפני אמי *& vnicus coram matre mea.* Vbi non vnigenitus proprie dicitur, id eſt, præter quem nemo fuerit genitus: ſed vnicus, qui eſſe poteſt, etiam ſi alij ſint ſiue prius, ſiue poſterius genita; dummodo denati. Itaque fruſtra Alfonſus vim facit in nomine vnigeniti. Hoc tamen loco; ne pro vnico quidem accipiendum, conſtat enim non fuiſſe Salomonem vnicum matri ſuæ, ex 3. 1. Paralipo. Denique hoc quicquid eſt explanant: Pererius in 17. Geneſ. & Ianſenius in Prouerbiorum 4. Ianſenij hæc verba ſunt, *Vnigenitum coram matre ſua dici hoc loco intelligendum eſt, non quod vnicus fuerit filius matris ſuæ Berſabeæ, quemadmodum quidam hoc loco falſo aſſerere conati ſunt* (Lyranus & poſt Lyranum Alfonſus) *Nam primi Paralipomenon tertio aperte dicitur, In Hieruſalem nati ſunt ei filij Simmaa, & Sobab, & Nathan,*

*& Salomon, quatuor de Bethſua filia Ammiel. Vnigenitus ergo dicetur coram matre, quod tanquam vnigenitus à matre tenere & vnice diligeretur. Nec eſt Hebræis, vnigenitus, ſed vnicus: nec dicit vnicus matri meæ; ſed vnicus coram matre mea, velut habent Hebræa, in facie matris meæ, hoc eſt, quod mater eum ſic haberet & diligeret, ac ſi vnicus fuiſſet. Proinde ſeptuaginta id ſentientes tantum verterunt* ἀγαπώμενος ἐν προσώπῳ μητρὸς, *hoc eſt dilectus in facie matris.*

XXXIII. Fruſtra fuit Alfonſus. Bellarminus primo multis veterum negatum Circuncisionem datam in remedium contra peccatum. Deinde neſciri an ante octauum diem fuerit infantibus Iudæorum aliquod remedium; & quodnam. Denique, non eſſe eandem rationem Chriſtianorum & Iudæorum. Nunc enim determinatum eſſe à Chriſto certum remedium, & communiſſimum, & facillimum, præter quod non liceat aliud fingere: tunc autem quid fieret, certo ſciri non poſſe, cum Scriptura nihil dicat.

XXXIV. Atqui non multis: ſed paucis veterum negatum, & male negatum Circuncisionem datam in remedium contra peccatum. Niſi forte nullum remedium ſit ſigillum iuſtitiæ fidei: ſed hæc quæſtio diſputata fuit iam antea, imo impugnatur à pleriſque Scholaſticis. Quanquam quid ad rem? Nam ſiue id remedium fuerit, ſiue non fuerit: tamen non circumciſi quidam erant in fœdere, quod nunc volumus, imo tanto magis eſſe poterant, ſi verum in Circuncisione nullum eſſe remedium aduerſus peccata quia omnino in fœdere oportet id remedium fuiſſe.

*XXXV.* Neſciri an fuerit aliquod remedium contra peccatum ante octauum diem ſuperſtitio eſt eorum, qui gratiam Dei non magis operantem ſine externa ope concipere poſſunt, quam cœcum ambulantem abſque ſcipione. Iis autem qui Sacramentis nullam niſi voluntariam aut inſtitutionem, aut ſignificationem, aut efficaciam ineſſe ſciunt, facile conceptu eſt, *ſpiritum quo velit ſpirare.* Et qui ſignificat infantes in vtero non expectare tarda Sacramentorum auxilia.

*XXXVI.* Non eſt eandem Chriſtianorum & Iudæorum rationem ſcimus: ſed illorum potiorem, quia ſcilicet ampliorem gratiam. Itaq; quemadmodum recte concluditur, ſi Iudæorum infantes erant circuncidendi, multo magis Chriſtianorum baptizandos, ſic certe non male, ſi Iudæorum ſalus non erat nulla ante Circuncisionem, multa magis Chriſtianorum ante Baptiſmum. Vtrunque enim ad gratiam pertinet amplificandam: vt vitari non poſſit, quominus contractiorem fatearis apud Chriſtianos ſi conſequentiam neges.

*XXXVII.* Sedenim determinatum nunc remedium & communiniſſimum, & facillimum, præter quod non liceat aliud fingere. Quaſi poſt inſtitutam Circuncisionem licuiſſet: & non potius in rebus diuinis omnis humana fictio ſit abominanda. Quaſi, qui olim ante Circuncisionem non eſſe certam omnium damnationem dicant, ij noua fingant remedia. Quaſi qui hodie non patiuntur à gratia diuina excludi omnes fidelibus natos, nec aſſequutos Baptiſmum; quicquam excogitent noui, nunquamve auditi remedij. Imo Bellarmine, noua hæc remedia, ſi non tua ſunt, ſunt ſaltem tuorum Sophiſtarum, qui etſi humaniores te, non poſſunt pati omnes infantes damnari; tamen iidem audaciores æquo non poſſunt gratiam Dei agnoſcere abſque externo adiumento. At Catholici, & te humaniores & tuis Sophiſtis modeſtiores, nullum fingimus remedium, ſed idipſum amplectimur, quod ipſa indicant Sacramenta: Gratiam Dei, ſine qua Sacramenta nihil ſint, ipſam tamen abſque Sacramentis efficacem, imo potentiſſimam.

*XXXVIII.* Nam quod remedium dicis communiſſimum, facillimum; quid ad rem? Imo contra hypotheſin: quæ neceſſitatem carendi ſupponit. Atqui, quibus non poteſt communicari Baptiſmus, iis neque communem, neque facilem eſſe oportet. Qui in voto Baptiſmi moriatur, hunc tu negas damnari. Qui martyrio vitam finierit ſine Baptiſmo, hunc tu in cœlos rapi contendis. Quid ita? An quia eis neque communiſſimus neque facillimus Baptiſmus? Nugator, cur vllam nunc difficultatis, imo neceſsitatis rationem nos habere non pateris; qui tibi tam ſecure permittas? En tibi Sophiſticum ingenium, virorum ſcilicet bonorum, & dignorum, quibuſcum in tenebris mices.

*XXXIX.* Superſunt filii ſancti; de quibus magni ſunt, tragicique clamores. Atque inde calumnia de infantibus fidelium exemptis ab originali peccato; quam pridem compreſsimus tomi 3. libr. 5. cap. 1. vt nunc nihil opus ſit repetere. Nunc ſoluunt varie. Prima ſolutio eſt apud Tapperum. Quod naſcantur ſancti, filii, & hæredes Dei, quotquot ex fidelibus naſcuntur parentibus, ſcripturis aduerſatur; quæ teſtantur omnes naſci filios iræ, & peccato, ac damnationi obnoxios: nam iudicium ex vno ait Paulus, in condemnationem, & per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; in quo omnes peccauerunt.

*XL.* Inſto: non eſſe contradictoria, naſci filios iræ, obnoxioſque peccato originis, & eſſe ſanctos, atque hæredes Dei. Nempe quia alterum naturæ ſit, alterum gratiæ. Atque adeo Paulus non dixit, nos natura fuiſſe, ſed eſſe filios iræ: nimirum quia in quibuſcunque fidelibus, cuiuſcunque ætatis veriſſimum ſit, & certiſsimum, eos eſſe natura filios iræ: qui tamen non ſunt propterea non filij Dei: nimirum accedente gratia, quæ naturalem illam condemnationem tollat. Sic ſine dubio Iacobo erat & naſcebatur filius iræ, quem tamen antequam naſceretur Deus amabat: ſic Hieremias, ſic Ioannes Baptiſta: ſic omnes omnino, neque enim quiſquam nunquam exceptus, præter omnium Seruatorem. Non poſſunt capere Sophiſtæ. Quid ad nos? aut potius, quid ad veritatem? Nam hanc certe non decet eius ſtupiditatis pœnas luere.

*XI* Non lædunt nos igitur, quæ ſiue ex Paulo, ſiue aliunde aut colliguntur, aut colligi poſſunt de corruptione humana: quæ oppoſitiſsime torqueri poſſunt in Pelagianos: imo etiam in Papiſtarum nonnullos; qui nihil eſſe volunt in infantibus, cui vera inſit ratio peccati; ſed tantum alienæ nequitiæ imputationem. Dicam amplius. Nemo Papiſtarum, tam vehementer vrget hanc naturæ corruptionem quam nos; qui eis viſi ſumus immane quantum excedere, cum confitemur, *Nos miſeros peccatores, conceptos & natos in iniquitate, & prauitate: ad nequitiam procliues, ad omne autem bonum opus inutiles:* adeo vt dare pœnas oportuerit, non tantum rediuiuo Ariſtophani; ſed etiam ſeriis, ſcilicet, ſeueriſque Catonibus, Feuardentio Cordigero, Ieſuitæque Mocquoto, nec aliis nullis.

Sed ſunto illi ſane ſiue rigidi cenſores; ſiue ridiculi moriones; tamen nos non neſcimus omnes omnino homines, nullo penitus excepto præter Filium Dei; eſſe peccato originali infectos: eamque ob cauſam, non tantum pœnæ damni, vt grauiſſimi ſcilicet illi hoſtes peccati loquuntur, cum duriſsime; ſed etiam pœnæ ſenſus, id eſt, igni æterno obnoxios: neque liberandos niſi gratia Chriſti; cuius Sacramentum eſſe agnoſcimus Baptiſmum. Sed qui adeo ſumus tetrici in damnanda natura; iidem non deſinamus admirari diuinam miſericordiam, excedentem & captum noſtrum. In quo hoc accidit inſtar miraculi; vt nos tam duri ſimus in exaggeranda corruptione noſtra, tam vehementes in celebranda gratia diuina: at contra Papiſtæ, tam difficiles ampliandis gratiæ beneficiis, tam molles in naturæ peccatricis ponderanda deprauatione. Videbunt, quibus non erunt φρένες ἄφρονες, quid hoc ſit miraculi.

*XLII.* Alia ſolutio; ex Auguſtino de peccatorum meritis & remiſsione, libri 2. cap 26. & 3. 12. quicquid per hanc ſanctitatem deſignetur, non poſſe vllo modo intelligi, filios fieri ſanctos ſine Baptiſmo: ſic Bellarminus. At Valentianus; non eſſe tamen eam, quæ gratia & iuſtitia contineatur; quaſi hoc ipſo, quod de parentibus fidelibus paruuli ſint procreati, aſſequantur gratiam. Vaſques vero: non ſufficere ad remittenda peccata, niſi Chriſtiana inſtitutione, & Sacramentis efficiantur fideles. Addit argumentum Bellarminus; quia ibidem Paulus dicat, ſanctificari coniugem infidelem: & tamen ſtultiſsimum eſſet credere, coniugem infidelem ſine conuerſione ad Deum, & Baptiſmo Chriſti poſſe peruenire ad remiſsionem peccatorum hoc ſolo, quod adhæret coniugi fideli.

*XLIII.* Verum ſolus Vaſques Auguſtini verba retinuit, reliqui ſua pro arbitrio ſubſtituerunt. Bellarminus inconſiderate dixit; quæcunque intelligatur ſanctitas, tamen non poſſe intelligi filios ſanctos abſque Baptiſmo. Nimis ſane confidenter. Nam quid de iis dicat qui pro ſanctis legitimos dicunt? Iſtamne ſanctitatem, non obtineri ſine Baptiſmo? Quid de iis, qui ſanctitatem ceremonialem imaginati ſunt non genitorum in matre menſtruata? Quam vtramque expoſitionem ignorare non potuit, qui vtramque enumerauit. An habebat animum in patinis cum hæc ſcriberet? An potius confidentiæ temeritate delatus in aera, nihil ſibi non facile exiſtimauit, terrendis nobis, ludendis lectoribus?

*XLIV.* Valentianus, quid imaginabatur, cum negaret ſanctitatem iſtam intelligendam, quaſi eo ipſo quod nati ſint ex parentibus fidelibus, aſſequantur gratiam; Nam id neque contra Pelagianos eſt, quos impugnabat Auguſtinus: ij enim tantum abeſt, vt obtineri gratiam dicerent, vt hanc potius negarent; dum aſſererent naſci ſine peccato infantes. Neque aduerſum nos, qui & ſcimus & profitemur neminem eo ipſo quod naſcatur à fidelibus aſſequi gratiam: imo gratiam eſſe præter & ſupra natiuitatem, & omnino ab alio principio, quam à natiuitate, à qua nihil oppoſitum gratiæ. Etiam ſi doceamus concurrere cum natiuitate gratiam, vt ſimul nati ex fidelibus, ſimul pertinent ad fœdus gratiæ. Quod quomodo obſcurum eſſe poteſt, iis qui & baptiſtem, & Ieremiam ante ſanctos, quam natos agnoſcant? Nam hi certe hanc ſanctitatem, hanc gratiam non ſunt aſſequuti eo ipſo quod nati ex piis parentibus. Videlicet in eo toti ſunt Sophiſtæ, vt calumniis vincant, quas argumentis non poſſunt vel mouere.

*XLV.* Auguſtini ſententiam, quam Vaſques retinuit, fatemur eſſe noſtræ oppoſitam: quia ſtatuat nemini remitti peccata ante Baptiſmum, quod nos dare non poſſumus, nec Auguſtinus ſumere, tamque præciſe enunciare, cum haberet in oppoſitum illa ipſa quæ diximus exempla Ieremiæ, & Baptiſtæ, quibus ante omnem Circuncisionem & Baptiſmum, oportet fuiſſe remiſſum peccatum originis, aut ipſos non fuiſſe ſanctificatos. Sed hoc vtilius diſputabitur, ſi conſtet, quænam ſanctificatio ſit intelligenda, in quo fuit Auguſtinus incertus. Itaque hoc potius agendum, bona cum venia boni venerandique patris, qui non ſolebat à ſe diſſentientes tam dure habere, quam qui hodie eius nomine impotenter abutuntur ad κακοζηλίαν.

*XLVI.* Sed enim coniux infidelis ſanctificatus dicitur. Sed enim coniux infidelis ſanctificatus dicitur. Ita eſt omnino inquam; At is, addit Bellarminus, non peruenit ad remiſſionem peccatorum; eo ipſo quod hæret coniugi fideli. Fateor & hoc inquam. Ergo neque infans, eo quod naſcatur. Diſſimulo calumniam de qua dixi, & repono: Ergo neque infans cum naſcitur. Reſpondeo autem; Paulum dicere; *Maritus infidelis ſanctificatus eſt in vxore & vxor infidelis ſanctificata eſt in viro.* Quid hoc eſt? fuere qui dicerent, frequenter euenire vt infidelem fidelis Chriſto lucrifaciat. Quod quidem verum, ſed alienum ab inſtituto: primum quia incerta ratio eſt, etſi enim nonnunquam ita factum, tamen plerumque etiam aliter. Itaque de hac re Paulus longe aliter loquitur, *Ecquid enim noſti vxor an virum ſis ſeruatura? aut ecquid noſti vir, an vxorem ſis ſeruaturus?* Nempe rem incertam ſignificans. At contra ἡγίασται ὁ ἀνὴρ ὁ ἄπιστος: ἡγίασται ἡ γυνὴ ἡ ἄπιστος, *Sanctificatus eſt vir ille infidelis: ſanctificata eſt mulier illa infidelis.* Non autem ſanctificabitur, in præteritum dixit, rem iam conſtitutam. & peractam; non autem in futurum rem incertam, aut optandam, aut exſpectandam. Deinde idipſuum eſſet præter hypotheſin: quandoquidem agatur de coniugio fidelis, cum infideli, quemadmodum ergo fidelis ſupponitur, conſtans in fide: ſic infidelis, etiam ſi non recedat ab infidelitate, vt ſenſus ſit; non debere diſſolui coniugium cum infideli, etiam ſi maneat infidelis, quia etiam ſic ſanctus ſit.

*XLVII.* Itaque neceſſario is ſenſus eſt, quem expreſſit Iuſtinianus in paraphraſi, *Eiuſmodi coniugia nullo modo cenſenda eſſe impura, ſed eorum vſum alterius coniugis ſanctitate purgari, fierique ſanctitatis eiuſdem quodammodo participem.* Et in annotationibus, *Sanctificationem coniugis non intelligit Apoſtolus eam, qua quis fit vere iuſtus & ſanctus, ſed qua vſus coniugij honeſtatur.* Et Salmero, *Quæ ſignificatio circa coniugium intelligitur.* Itaque voluit Apoſtolus coniugem infidelem ſanctificatum eſſe eo ipſo, quod adhæreat alteri fideli. Vnde ſi vis vlla conſequentiæ eſſet; contra potius inferendum; Ergo filios eo ipſo ſanctos eſſe, quod naſcantur ex parente fideli. Contra quam Bellarminus exiſtimabat. Sed re vera conſequentia nulla eſt, propter homonymiam ſanctificationis, quam tamen phraſes diſtinguunt, non enim vt ſanctificatus eſt vir in muliere, ita dictum liberi ſancti ſunt in parentibus, ſed abſolute ἅγιά ἐστι ſancti ſunt.

XLVIII.

XLVIII. Fruſtra ergò Bellarminus negabat coniugem infidelem ſine conuerſione ad Deum, & Baptiſmo peruenire ad remiſſionem peccatorum. Quandoquidem hæc ſanctificatio nihil ad hanc pertineat remiſsionem peccatorum, & tamen ſi pertineret, dicendum fuerat abſolute, poſſe peruenire ad eam: nimirum propter hypotheſin, quam diximus quæ ſupponat infidelem manentem in infidelitate, quomodo ne per Baptiſmum quidem peruenitur ad remiſsionem peccatorum. Sedenim, ſicut non poſſumus concludere, ſi coniux infidelis eo ipſo ſanctificatus ſit, quod adhæreat coniugi fideli: Ergo infantes eo ipſo ſancti, quod naſcantur ex parentibus fidelibus, ſic neque Bellarminus, ſi non ſit coniunx infidelis ſanctus ſine Baptiſmo, ſic neque infantes. Quia ſcilicet obſtat homonymia.

XLIX. Tertia tandem ſolutio eſt ab interpretatione ſanctitatis, ſecundum quam nati ex parentibus fidelibus poſſint dici ſancti. Tres ſententias Bellarminus numerauit, quatuor Vaſques, neuter collegit omnes. Certe enim vehementer laboratum eſt in his paucis verbis, ſiue exponendis. Omnes complecti conabor, & examinare. Sanctitatem alij politicam imaginati ſunt, alij ceremonialem, alij religioſam, ſic enim liceat mihi diſtinctionis gratia, vocitare.

L. Prima ergo expoſitio eſt: liberos ſanctos dici politice; id eſt legitimos, & non adulterinos. Sed & hoc bifariam, quaſi diceret Paulus ſi illegitima eſſent veſtra matrimonia, ergo veſtri etiam liberi eſſent illegitimi: At non ſunt: Ergo neque illa. Sic Ambroſium, Thomam, Anſelmum expoſuiſſe. Et hunc Suares appellat literalem ſenſum. Veruntamen Vaſques dictum arbitratur de liberis ſuſceptis è ſecundo matrimonio. Nemo, inquit, coniugem infidelem relinquat; ſi ille vult pacifice habitare, & in matrimonio perſeuerare; neque alteri ſe matrimonio coniungat, alioquin ſi quis veſtrûm oppoſitum faceret, filij veſtri ex tali ſecundo matrimonio, immundi, hoc eſt, ſpurij, & illegitimi eſſent, eo quod potius ſcortatio, quam verum coniugium foret, nunc autem dum in primo perſeueratis, filij quos inde habetis, ſancti, hoc eſt, legitimi ſunt.

LI. Sanctitatem ceremonialem ita explicat Bellarminus, ſanctificari coniugem infidelem per fidelem, quia diſcebat leges coniugij, & non abuti matrimonio, infideles enim ſæpe abuti, non abſtinentes copula tempore menſtrui, neque ſemper naturalem modo ſeruare. Inde pollui coniugium, & filios naſci immundos. Porro ab ea pollutione liberari parentes, & liberos; cum infidelis conſentit habitare cum fideli, & ſeruare leges caſti matrimonij.

LII. Sanctitatem Religioſam dixi eam, quæ definitur ex religione Chriſtiana. Sed hanc alij futuram, pendentemque ab euentu. Videlicet, inquit Vaſques, quod coniux fidelis cum infideli perſeuerans, facile lucrari poſſit filium, vel obtinendo vt paruulum baptizet; vel adultum ſuo conſilio ad fidem conuertendo, cum contra ſi diſceſſio fieret, & filij remanerent apud infidelem, in infidelitate perſeuerarent.

LIII. Alij præſentem maluerunt, ſed varie. Vaſques eo quod altero coniuge fideli cum infideli perſeuerante, & ipſum ad meliorem frugem reuocante, efficitur vt filij ex vtroque iam fideli nati, mundi naſcantur, hoc eſt omnino in Dei cultum ab vtroque parente deſtinati: cum tamen ſi alter illorum in ſua infidelitate perſeueraret, neque a fideli lucifieret, naſcerentur immundi, ſaltem ex dimidia parte, quia ab altero ad cultum idolorum deſtinati naſcerentur. Si autem expone Theophylactum, atque Oecumenium, ex Chryſoſtomi homil. 19 in eam Epiſtolam.

LIV. At Salmero. Quæ ſit ſanctitas puerorum, qui ex parentibus Chriſtianis originem ducunt, reſpondemus nihil aliud eſſe, quam quod filij ad Eccleſiam Dei pertineant, quaſi ex vtroque parente fideli nati eſſent, non aliter atque olim Iudæorum cum eſſent poſteri Abrahæ, dicti ſunt in Dei fœdere includi, quia promiſit Deus Abrahæ, velle ſe non tantum eius, ſed etiam ſeminis eius Deum eſſe.

LV. Hæ ſunt, quæ mihi apud Papiſtas occurrerunt huius loci explicationes variæ; de quibus diligentius iudicandum: hoc obſeruato, Bellarminum è tribus quas enumerat, non indicare quam cui præferat: quaſi nihil intereſſet: Suarem prætuliſſe primam, quæ Vaſqui quarta eſt: Salmeronem poſtremam, quæ ipſa Caluini eſt, cuius hæc eſt notatio in eum locum, *Vniuerſalem eſſe propagationem & peccati & damnationis in ſemine Adæ. Omnes igitur ad vnum ſub hac maledictione includi, ſiue ex fidelibus, ſiue ex impiis deſcendant. Neque enim fideles liberos generant ſecundum carnem, quatenus ſpiritu ſunt regenerati. Aequalis eſt igitur in omnibus naturæ conditio, vt ſint tam peccato, quam æternæ morti obnoxij. Quod autem hic tribuit liberis fidelium ſpeciale priuilegium Apoſtolus, id fluit ex beneficio fœderis, quo ſuperueniente deletur naturæ maledictio; & Deo per gratiam conſecramur, qui naturâ profani erant. Hinc argumentatur Paulus* 11. *ad Romanos, totam Abrahæ progeniem eſſe ſanctam, quia fœdus vitæ Deus cum illo pepigerat Si radix ſancta, inquit, ergo & rami ſancti. Et Deus filios ſuos vocat omnes, qui ex Iſraele ſunt progeniti.* Nec Martyr diuertit; aut Beza, aut Aretius, aut Piſcator. Sic factum nouum miraculum, vt magni nominis Ieſuita, ſit factus Caluinianus.

LVI. Sed omiſſis perſonis, rem inſpectemus. Primum omnium, ponimus hoc quicquid eſt pertinere ad filios fidelium. Id apparet; quia cauſam agat Paulus non omnium coniugatorum; ſed fidelium cum infidelibus, quorum erat conſulendum conſcientiæ: quæ nonnihil ſcrupuli inueniebat in matrimonio cum infideli, ſine dubio ipſius pietatis prætextu. Itaque huic ſcrupulo eximendo neceſſaria erant argumenta ex pietate. Vnde in præcedentibus, *Sanctificatus eſt vir infidelis in vxore*, & contra: ea ſanctitas intelligitur, quæ reſpondeat pietati coniugis fidelis, non tantum in vſu communi. Quomodo ſcilicet alias dictum, *Omnia pura puris, pollutis autem & infidelibus nihil eſt purum; ſed polluta eſt eorum & mens & conſcientia.* Quanquam enim impuris etiam hominibus idem ſit vſus rerum naturalium, & piis communis, tamen conſcientiæ impuritas eum ipſum vſum polluit. Simili ratione etſi non ſint illegitima matrimonia inter infideles: tamen hac ipſa infidelitate polluuntur, quomodo quicquid fit ſine fide peccatum eſt. Sanctitas ergo illa pertinebat ad pietatem. Similiter & iſta liberorum. Vbi etiam notandum, nuſquam liberos infidelium appellari ſanctos. Imo hîc deducitur ſanctitas liberorum, à ſanctitate coniugij, *Maritus infidelis ſanctificatus eſt in vxore, & vxor infidelis ſanctificata eſt in viro, alioqui certe liberi veſtri impuri eſſent, nunc autem ſancti ſunt.*

LVII. Itaque refutatur plene prima expoſitio ſanctorum pro legitimis. Nam hoc genus ſanctitatis non eſt proprium matrimonio fidelium, ſed commune omnibus. Tam enim legitimus erat Pilatus, quam Baptiſtes, etſi non tam ſanctus. Addo, non poſſe dari exemplum huius notionis, vt vſquam alibi ſanctus ſignificet legitimum filium. Argumentum: Hæc ſanctitas propria eſt liberis fidelium. At legitimatio non eſt propria liberis fidelium. Ergo legitimatio non eſt ea ſanctitas.

LVIII. Bellarminus reſpondet, legitimum quidem eſſe coniugium duorum infidelium: ſed cum alter eſſet fedelis, dubitari potuiſſe an foret legitimum coniugium propter religionum diſparitatem; quia videatur fidelis pollui ob cohabitationem cum infideli. Itaque Paulum monere etiam tum legitimum eſſe matrimonium.

LIX. Sed Vaſques, *Recentiores aliqui Theologi*, inquit, *reſpondent ad obiectionem Petri Martyris, eiuſque vim infirmare contendunt. Eorum tamen reſponſo omiſſo, quod mihi omnino non probetur, reſpondeo, vocari ſanctos, non tantum, quia ex legitimo matrimonio geniti: ſed quia etiam ex maiori parte ſub creatoris, & veri Dei cultu procreati ſunt, quod quidem non conuenit procreatis ab infidelibus parentibus etiam ex legitimo matrimonio.* Sic Ieſuitæ Ieſuita contradicit, non certe in gratiam noſtri; ſed ſaltem in emolumentum cauſæ.

LX. Sed tamen, inquam, Paulus eam quæſtionem non diſputat. Nam quid eo pertineret; vir ſanctificatus in vxore: & vxor in viro? Etenim in legitimo matrimonio non neceſſe eſt ſanctificari coniuges: alioquin in non ſanctificatis nullum eſſet legitimum. Et tamen non tantum eſſe ponit Bellarminus; verum etiam negat de eo dubitari potuiſſe. Quid ergo opus erat fidelem alterum eſſe? Nam etſi Græce non addatur, tamen certum eſt, eum eſſe ſenſum, quem Latina editio habet, *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem. Et ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem.* Νικᾷ, inquit Chryſoſtomus, ἡ καθαρότης τῆς γυναικὸς τὴν ἀκαθαρσίαν τοῦ ἀνδρός. καὶ νικᾷ ἡ καθαρότης τοῦ πιστοῦ ἀνδρὸς πάλιν τὸ ἀκάθαρτον τῆς ἀπίστου γυναικός, *Vincit munditia mulieris, viri immunditiam, & rurſus munditia viri fidelis vincit immunditiam mulieris infidelis.* Cum igitur in legitimo matrimonio neutram neceſſe ſit perſonam eſſe ſanctificatam, oportet aliam quæſtionem eſſe de legitimo, aliam de polluto: vt etiam legitimum pollui potuerit. Vnde potuit eſſe ſcrupulus: quem ſoluit Paulus, non ducens eſſe legitimum; ſed duntaxat non pollutum: quam ad rem ineptum erat reſpondere de legitimis filiis, qui ſemper ſunt a legitimo coniugio; ſiue id pollutum ſit, ſiue minus. Merito igitur diſplicuit hoc ſolutionis Vaſqui diligentius diſputationem Pauli conſideranti.

LXI. Secundo ponimus, quicquid hoc eſt ſanctitatis, debere præſens intelligi. Vidit Auguſtinus de peccatorum meritis & remiſſione libro tertio, capite duodecimo, *Magis verba Apoſtoli videntur ſonare, & quodammodo cogere, vt aliqua illic intelligatur ſanctificatio, qua ſanctificabantur vir vel mulier infidelis in coniuge fideli, & qua ſancti naſcebantur filiis fidelium.* Et ſane alioquin non erat ſoluta quæſtio, exemptus ſcrupulus. Nam ſi argumentum eſt ſanctificati matrimonij, liberi ſancti: Ergo his non ſanctis, videtur pollutio manere. Et hoc effectu relicto incerto, ſanctitatem incertam matrimonij oportet eſſe. Quid autem dignum eſſet Apoſtolo; ſi prohiberet fidelem diſcedere, quia fortaſſe liberi eorum futuri ſint ſancti.

LXII. Deinde; vis phraſeos Apoſtolicæ eſt in oppoſitum. Sanctificatus eſt vir, ſanctificata eſt mulier, filij ſancti ſunt. Quæ phraſes vt monuimus non deſignant futurum & incertum, ſed præteritum, præſensve & certum. Sic nulla fidelium matrimonia ſunt polluta: Ergo non diſſoluenda prætextu pietatis. Probatur antecedens. Nulla matrimonia polluta, ſiue impura, generant liberos ſanctos: At fidelium matrimonia generant filios ſanctos: Ergo non ſunt impura.

LXIII. Hoc argumento excluditur ea ſanctitas; quam nonnulli prætulerunt ab educatione; nam ab iſta penitus delumbatur argumentum Apoſtoli. Hæc enim incerta eſt. Norunt enim omnes, & docet experientia, neque omnes viros lucrifieri; quod etiam innuit Apoſtolus: neque omnes liberos obſecundare ſanctæ educationi. Præterea ſi qui obſecundent; tamen hic effectus eſt accidentalis, non autem ex ipſius matrimonij natura. Quid enim? Nonne ſcimus A Deo datum, Auguſtini filium natum ex concubitu non legitimo, fuiſſe bene educatum? Imo nonne Iephthes filius meretricis, Iudicium vndecimo, numeratur inter fideles ad Hebræos vndecimo? Conſtat igitur ex paſſiua venere generari etiam filios ſanctos, ſanctitate illa, quæ pendet ex ſequente educatione. Propterea ne adulter infidelis ſanctificatur in adultera fideli? Apage.

LXIV. Reſpondet Bellarminus: coniunctionem cum ſcorto rem eſſe per ſe malam: & ideo non poſſe fieri ſanctam, aut laudabilem & retinendam: etiam ſi inde nati filij, fiant Chriſtiani. At coniugium etiam infidelium rem eſſe bonam, & ideo poſſe fieri meliorem, ſi alter eorum conuertatur ad fidem: & poſſe commendari, ſuaderique perſeuerantiam in tali coniugio, ob bonum, quod inde ſequitur, vt filij Chriſtiani fiant.

LXV. At nos Sophiſtam ridemus, vera dicentem, ſed extra rem. Nos enim de re ipſa non diſputamus; ſed de argumenti efficacia. Neque perſuaderi nobis patimur, Apoſtolum operam dediſſe magiſtris Ieſuitis, vt in re vera luderet auditores futilibus argutationibus. Concedimus ergo matrimonium etiam infidelium eſſe non malum. Concedimus fieri melius, & conuerſione viri, & educatione ſancta liberorum. Concedimus poſſe, imo debere ſuaderi in eo iam contracto perſeuerantiam. Concedimus ſcortationem per ſe eſſe malam, nec poſſe fieri bonam. Omnia denique concedimus quæ ſophiſta poſuit. Quid ergo? Meminiſſe iubemus ab eo in præcedente ſolutione dictum, dubitari poſſe, an coniugium ſit legitimum in religionis diſparitate. Atque hunc fuiſſe Corinthiorum ſcrupulum; nam qui putat ſi diſcedendũ à coniuge propter diſparitatem religionis ſupponit omnino in ea diſparitate matrimonium non eſſe ſanctum; ſiue id pollutũ interpreteris ſiue legitimum. Huic ſcrupulo eximendo hoc argumẽtum oportet accommodari. Itaq; docere, non ex bono fieri melius, ſed non

eſſe

eſſe malum. Aſt id non fieri conſtat exemplo ſcortationis: tam certo, tam firmo, vt contradictionem non patiatur. Hinc enim conſtat, copulationem viri & mulieris malam, non fieri bonam per ſuccedentem liberorum educationem, quantumuis laudabilem. Itaque ſi coniunctio mulieris fidelis, cum infideli viro, mala eſt, prout Corinthii ſaltem ſuſpicabantur, non poterat euinci ab Apoſtolo fieri bonam per eandem inſtitutionem.

LXVI. Tertio, ponimus hanc ſanctitatem conſtare etiam manente religionis inter coniuges. Patet; quia hæc mens eſt Apoſtoli; vt doceat fideli non diſcedendum à coniuge infideli conſentiente in cohabitationem. Cui rei conficiendæ ineptum eſt æque ac paulo ante, argumentum ab euentu incerto, & per accidens. Hinc refutatur illa ſententia, quæ imaginatur tandem cum etiam infidelis conuerſus erit, generatum iri filios ſanctos. Nam quid ſi nunquam fiat? Tum autem manifeſta ratiocinatio eſt, ſi coniugium fidelis cum infideli non eſſet ſanctum; eſſent liberi impuri. Quis dubitet liberos intelligi ex coniugibus quorum impar ſit religio? At nunc ſancti ſunt. Quinam? Alii neſcio qui? an ij ipſi potius? Vel cæcus palpet.

LXVII. De ſanctitate illa ceremoniali, quid dicam? Venit in mentem Auguſtino. Sed Deus bone, quam aliena? Profecto quædam ſunt tam abſurda, vt refutari non mereantur. Euge. Dixit Apoſtolus ſi non ſanctificetur maritus infidelis in vxore fideli, futurum vt filii inde nati, ſint impuri. Ergo omnes ſic nati ſunt impuri, aut falſum dixit Apoſtolus. Quid ergo? Omnesne nati ex iis parentibus quorum alter non ſanctificatur in altero; geniti ſunt in menſtruis? Nunquamne infideles vtuntur vxoribus niſi menſtruatis? Ita oportet ſane, aut hanc ridiculam eſſe interpretationem. Tum autem in lege veteri, cum maxime prohibebantur viri accedere ad menſtruatas, velim doceri vbi dicti ſunt filii ſic cōcepti, impuri, ἀκάθαρτοι? Quod ſi nihil ſit præter humanæ coniecturæ diuinationem, quis pro demonſtratione admittat? Neque vero Auguſtinus docet vſquam eo ſenſu dici impuros, ſed tantum ex Ezechielis 18 non eſſe figurate accipiendam prohibitionem accedendi ad menſtruatam, quod procul abeſt ab hoc negotio.

LXVIII. Refutatis omnibus interpretationibus, ſola illa remanet Salmeronis, imo ſola illa remanet Caluini, & omnium noſtrorum. Nam cur Caluinum ſua laude fraudemus, in Salmeronis gratiam: adeo ingrati, vt per quem profecerit, ne nominare quidem dignetur? Huic expoſitioni nihil eſt quod poſſit opponi, ea optime quadrat Apoſtoli diſputationi. Denique à Papiſtis non refutata, imo ne impugnata quidem, niſi per impudentem calumniam.

## CAP. XI.

### *De Perſonis in Baptiſmo.*

I. DE perſonis nunc agendum cum patientibus, tum agentibus. Quanquam in patientibus nihil ſit controuerſum. Nam vtrique conſentimus omne genus homines, cuiuſuis ætatis capaces eſſe Baptiſmi. Itaque Anabaptiſtas negantes Pædobaptiſmum, noſtri refutant. Caluinus Inſtit. libr. 4. c. 16. Beza Confeſſionis maioris c. 4. ſect 48. Zacharias Vrſinis in Bezæ argumentorum defenſione. Hellopæus de tota re Sacramentaria tract. 2. c. 8. Zvvinglius in Catabaptiſtarum ſtrophas, & libro de Baptiſmo, & contra Balthaſarum Huebmerum. Melanchthon, & Muſculus in Locis Communibus: Bulingerus aduerſus Anabaptiſtas lib. 6. Denique Confeſſio Gallica artic. 35. *Quanuis Baptiſmus ſit fidei & reſipiſcentiæ Sacramentum, tamen cum vna cum parentibus poſteritatem etiam illorum in Eccleſia Deus recenſeat, affirmamus infantes ſanctis parentibus natos, eſſe ex Chriſti autoritate baptizandos.* Similiter Papiſtæ. Concilium Tridentinum ſeſſio. 7. canone 12. 13. & 14. de Baptiſmo: Catechiſmus ad Parochos: Bellarmin. de Baptiſmo c. 8. Vaſques in 3. Thomæ, diſput. 154. Gregor. de Valentia Commentariorum tomo 4. disp. 4. quæſt. 3. Suares de Sacramentis diſpu. 25. Dominicus Soto in 4. diſtinct 5. art. 9. Ioan. Faber Epiſcopus Viennenſis diſput. contra Balthazarem c. 2. & ſermonibus aduerſus Anabaptiſtas.

II. Infantes tamen non omnes omnino, ſed duntaxat fidelium, id eſt, baptizatorum. Nam qui infantes ſunt infidelium nos quidem negamus admittendos, quandoquidem non pertinent ad Eccleſiam, in eius fœdere non comprehenſi. Papiſtæ vero hactenus conſentiunt, vt non abſolute negent baptizandos: ſed certis exceptionibus: de quibus diſputant, Vaſques in 3. Thomæ, diſp. 155. & Dominicus Soto in 4. diſt 5 art. 10. Diſtinguunt enim infideles in liberos, & ſeruos. Illorum negant baptizandos inuitis parentibus. Iſtos vero poſſe à principib. bello captos. At nos non ſolemus tam ſubtiliter inquirere in ſingula. Dicam tamen quod ſentio. Serui ſi ſint vere ſerui, quales olim; non diffitear: nam Abrahamo legimus imperatum, vt circuncideret ſuos omnes ſeruos. Sed quales hodie nos ſeruos habemus vt plurimum; quia vere liberi ſint, non putem ſic tractandos, ne eos quidem qui iure belli fiunt ſubditi principibus: nam hoc genus ſubditorum tamen liberum manet. De natis ergo ex parentib. infidelibus liberis, ſi conſentiant parentes, diſtinguendum putem. Conſentiunt enim vel ipſi facti fideles, ac tunc nulla difficultas quin ſibi & liberis ius acquirant in ſocietatem Eccleſiæ: vel perſeuerantes infidelitate: ac tum non putem baptizandos: quia ſcilicet neque à parentibus, neque à ſeipſis id iuris acquirant: itaque exſpectandum donec ipſi ſuam fidem teſtari queant. Sed hæc tamen non ſunt eius generis quæſtiones, quæ pertineant ad noſtras Controuerſias.

III. Rurſus perſonas diſtinguimus in baptizatas, & non baptizatas. Has cenſemus admittēdas ad Baptiſmum: illas rurſus diſtinguimus, in legitime: legitime baptizatas: & non legitime: Legitime baptizatas dicimus, in quib. nihil omiſſum quod ſit Baptiſmo eſſentiale; quod ad materiam, & quod ad formam; & has nullas credimus iterum admittendas ad Baptiſmum: quia videlicet hoc Sacramentū iterati non debeat. Quæ autem non erunt legitime baptizatæ, has admitti poſſe. Atque ſic iampridem definitum cum aduerſus Nouatianos, Donatiſtasve atq; alios. Nec diſſentiunt Papiſtæ.

IV. Ergo in perſonis baptizandis nihil eſt controuerſiæ. In baptizante; conſentiunt omnes perſonalem miniſtri indignitatem, non nocere aut Baptiſmo, aut baptizato. Quia videlicet tota Sacramenti efficacia à Deo ſit, nō ab homine; cuius partes nullæ ſint, niſi in exteriore miniſterio. Sed hæc aſſertio pertinet ad generalem doctrinam de Sacramentis; vbi etiam à nobis poſita eſt.

V. Hoc conſenſu poſito, deinceps controuerſa duo ſunt capita 1. de Io. Baptiſmo, alterum de legitimo miniſtro baptiſmi.

## CAPVT XII.

### *De Baptiſmo Ioannis ſtatus quæſtionis: & argumenta Catholica.*

I. DE Ioan. Baptiſmo, diſputatum Zvvinglio in libro de Baptiſmo c. de 1. Baptiſmi Origine. Caluino Inſt. l. 4. c. 15. § 7. Bucero in Matth. 4. Muſculo in locis Communib. c. de Baptiſmo. Bulingero Decadis 5. ſermone 8. & aduerſus Anabaptiſtas lib. 6. c. 1. Chemnitio Examinis Trident. parte 2. ad Canonem 1. de baptiſmo. Sadeeli ad art. 16. Burdegalenſium. VVitakero contra Duræum lib 8. Riueto tract. 3. Catholici Orthodoxi, q. 2. Ioan. Scharpio in curſu Theologico de Baptiſmo Controu. 2.

II. Papiſtis, præter Scholaſticos in 2. diſtinct. 4. Sententiarum; Lindano Panopliæ lib. 4. c. 16. Tiletano defenſionis Tridentinæ parte altera, ad Canonem 1. de Baptiſmo. Polygrano in Aſſertionib de baptiſmo, errore 1. Eckio Homil 7. de Sacramentis. Arboreo Theoſophiæ lib. 2. c. 2. Stapletono in Promptuario Catholico, Dominica 3. aduentus. Rubeo in diſt. 2. quarti. Bellarmino c. 29. de Baptiſmo, & quatuor proximis. Dominic. Soto in 4. diſt. 2. q. 2. Gregor. de Valentia tom. 4. Commentariorum de baptiſmo diſp. 4. q. 4. punct. 1. Cotono Inſtitutionis lib. 3. c. 28.

III. Tridenti Canon primus de baptiſmo ſeſſione 7. ita fuit, *Si quis dixerit, Baptiſmum. Ioan. habuiſſe eandem vim cum Baptiſmo Chriſti anathema ſit.* Breuius æquo. Sed alii prolixius. Bellarmin. gemina propoſitione rem expediuit. Priore, *Baptiſm. Ioan. non fuit Sacramentum idem cum Baptiſmo Chriſti.* Altera, *Baptiſmus. Ioan non habuit eandem vim & efficaciam, quam habet Baptiſmus Chriſti.* Deniq; omnes conſtanter longe alium fuiſſe, non numero tantum, ſed etiam ſpecie. Imo Stapletonus toto genere. At noſtri contra; *non alium ſed eundem, quem Io. Baptiſmum diſcipulos Domini poſtea adminiſtraſſe* (verba ſunt Bulingeri) *Et cum poſt reſurrectionem Domin. diſcipulos iuſſit aqua baptizare, non alium nouum inſtituiſſe, ſed eum quem Ioan. inchoarat iuſſu Dei, Apoſtolos in totum orbem propagare & omnes gentes baptizare iuſſit.* Caluinus, *idem fuiſſe prorſus Iohan. miniſterium, quod Apoſtolis poſtea delegatum fuerit.*

IV. Sic Papiſtæ: ſic Catholici συκοφαντικῶς. Hinc perpetuus in ore Sophiſtarum ſycophantiæ ſpiritus, exhalandæ ſuæ virulentiæ anſam non omiſit. Nam Stapletonus, *Hoc non ideo faciunt*, inquit, *vt Ioan. Baptiſmum extollant, ſed vt Chriſti Baptiſm. deprimant: neq; vt illam remittendi peccata efficaciam Ioan. Baptiſmo tribuant, quam in Chriſti Baptiſmo Scriptura nos docet, ſed vt illam infirmitatem & in efficaciam, nudamq; ceremoniam in Chriſti Baptiſmo eſſe doceant, quam in Ioan. Baptiſmo eſſe manifeſtum eſt.* Audin ex imo Tartaro halitum peſtiferum? Agnoſciſne calumniam germane Papiſticam? Enimvero conſtabit ex ipſa diſputatione; potius euehere Io. Baptiſmum, quam Chriſti deprimere. Recte & grauiter Vuitakerus, *Multo magis Campiano & tibi,* Duræo, *vitio vertendum eſt, quod Io. Baptiſmum nihil niſi nudam ceremoniam faciatis, quaſi Ioan. id tantum egerit, vt tanquam balneator aliquis multorum corpora abluerit. Chriſti nos baptiſmo nullam iniuriam facimus, ſi Io. baptiſmo quod ſuum eſt tribuamus, vos vero Ioan. miniſterio partem præſtantiſſimam detrahitis, quando ex illius baptiſmo gratiam omnem & remiſſionem peccatorum excluditis.*

V. Cæterum recte Chemnitius monet, cum nemo hodie baptizetur baptiſmo alio quam qui Chriſti ſit, ſuperfluam videri de baptiſmo Ioannis controuerſiam. Et iis quæſtionibus annumerandam, in quibus opinionum diuerſitas, vel etiam leuis alucinatio, non inferat iacturam fidei & ſalutis. Sed & Beza parte altera Quæſtionum, *Quæſtionem illam*, inquit, *vt hodie inutilem velim prætermitti.* Et ſane ita eſſet conſultius, niſi Papiſtæ ſuam illam retinentes ſuperbiſſimā tyrānidem, vt nolint cuiquam à ſuo ſenſu diuerſum ſenſum eſſe; etiam patientiſſimos irritarent ſuis anathematiſmis.

VI. Scimus autem magnum illis eſſe à Veteribus prætextum, quos ferme omnes habent ſibi præeuntes. Sed in re non præcipui momenti; non iniquā libertatem exiſtimamus; ſepoſitis perſonis, rationibus potius adhærere: & iis quidem, quas ipſi illi Veteres ſuis ſuffragiis non parum iuuenit.

VII. Nobis primum argumentum. Omne lauacrum aquæ in pœnitentiam & remiſſionem peccatorum per Chriſtū diuinitus inſtitutū Eccleſiæ Chriſtianæ, eſt baptiſmus Chriſti: At Ioan. baptiſmus, tale fuit lauacrum: Ergo fuit baptiſmus Chriſti. Maior patet à natura definitionis, quam oportet cum definito reciprocari. Aſſumptio igitur eſt demonſtranda per partes.

VIII. Primum igitur fuiſſe lauacrum aquæ nemo contradicit; quia res eſt in aperto. Matth. 3. *Et baptizabantur ab eo in Iordane. Ego baptizo vos aqua. Et baptizatus Ieſus aſcendit ſtatim ex aqua.* Marc. 1. *Et baptizabantur omnes ab eo in Iordane fluuio.* Vbi habes conſtanter vtramq; materiam, tum remotam, aquam; tum propinquam, baptiſmum, ſiue lotionem. Quomodo in baptiſmo Chriſti: Act. 8. *Venerunt ad aquam quandam: tum ait Eunuchus, En aquam, quid prohibet me baptizari* Et 10. *Num quis aquam prohibere poteſt, quominus baptizentur iſti?* Et ad Epheſ. 5 habe λουτρὸν ὕδατος, *lauacrum aquæ.* Hoc ergo iam capite paria ſunt baptiſmata Chriſti & Ioannis.

IX. Secundo; probatur inſtitutio diuina ex Ioan. 1. *Qui miſit me, vt baptizarem aqua, ille mihi dixerat, ſuper quem videris Spiritum deſcendentem ac manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.* Id eſt; iuxta Toletum, *Deus qui miſit me, hoc tunc mihi ſignum dedit. Quaſi diceret; ſi meo baptiſmo datis fidem, & eum recepiſtis tanquam à Deo, ſciatis illum eundem à quo miſſus ſum baptizare, mihi hoc ſignum dediſſe.* Villagudus, *Videamus Ioan. humilitatem; non ingerit ſe huic officio. Non mea autoritate, ait, ſed diuina huc prodeo: nam miſit me Deus.* Auguſtin. tract. 5. in Ioan. *Quis ergo miſit Ioannē: Si dicamus Pater, verum dicimus: ſi dicamus Filius, verum dicimus: manifeſtius autem vt dicamus, Pater & Filius.* Ferus in Matth. 21. *Baptiſmum Ioannis nemo dubitat è cœlo fuiſſe. Sic enim prædictum fuit; Ecce ego mitto angelum meum ante te.* Denique Salmero tract. 58. tom. 8. *Dici poſſet eſſe Dei, quia à Deo inſtitutus eſt, & Ioannes Miniſter.* Ambroſius de pœnitentia libr. 1. cap. 7. *Baptizaturus in Spiritu ſancto & igni, per Ioan. Baptiſmatis Sacramenta præmiſit.*

X, Tertio

X. Tertio, probatur inſtitutum fuiſſe Eccleſiæ Chriſtianæ. Primo, quia totum miniſterium Ioannis pertinebat ad Euangelium. Teſtis Marcus c. 1. *Principium Euangelij Ieſu Chriſti Filij Dei. Vt ſcriptum eſt in Prophetis, Ecce ego mitto nuntium meum ante faciem tuam, qui parabit viam tuam coram te. Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, complanate ſemitas eius. Baptizabat Ioannes in deſerto, & prædicabat baptiſmum reſipiſcentiæ in remiſſionem peccatorum.* En tibi principium Euangelii repetitum ab ipſa Ioannis prædicatione, atque adeo à baptiſmo. Lucas Burgenſis in ea verba, *Initium Euangelij Ieſu ſcilicet huiuſmodi fuit, ſic ſe habuit, tale fuit, quale ſequitur. Nam lex & Prophetæ vſque ad Ioannem; à Ioanne autem incipit Euangelium regni cœlorum. Docet itaq; Euangeliſta, Euangelij initium fuiſſe pœnitentiæ denuntiationem à Ioanne Baptiſta præcone factam.* Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 3. ἀρχὴ τοῦ κόσμου τὸ ὕδωρ· καὶ ἀρχὴ τῶν εὐαγγελίων ὁ Ἰορδάνης, *Principium mundi aqua: & principium Euangelij Iordanus.* παλαιᾶς τὸ τέλος, καὶ τῆς καινῆς διαθήκης ἀρχὴ τὸ βάπτισμα. Ἰωάννης γὰρ ἦν ἀρχηγὸς, οὗ μείζων ἐν γεννητοῖς γυναικῶν οὐδεὶς· τέλος μὲν προφητῶν· πάντες οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος ἕως Ἰωάννου· τῶν δὲ εὐαγγελικῶν πραγμάτων ἀπαρχή· ἀρχὴ γὰρ τοῦ εὐαγγελίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τὰ ἑξῆς, *Veteris Teſtamenti finis, & Noui eſt principium baptiſmus. Ioannes erat dux eius, quo maior inter natos mulierum nullus: qui finis erat Prophetarum: omnes enim Prophetæ & lex vſq; ad Ioannem. Et idem erat rerum Euangelicarum principium. Initium enim Euangelij Chriſti & quæ ſequuntur.*

XI. Idem probatur ratione. Omnino enim baptiſmum Ioannis oportuiſſe, vel nullius religionis, vel pertinere ad Vetus Taſtamentum, vel ad Nouum. At nullius religionis, abſurdum eſt, quandoquidem inſtitutum à Deo; miniſtratum ab Angelo Dei: & ſeruiens pœnitentiæ ac remiſſioni peccatorum; vitandæque iræ Dei. Veteris Teſtamenti eſſe non potuit: quia omnes eius ceremoniæ legitimæ, inſtitutæ per Moſem: tum autem, quid opus erat ceremoniis augeri fœdus iamiam antiquandum? Nam nouo obſtrinxiſſet vinculo homines in eius obſeruationem. Supereſt ergo, vt pertinuerit ad Nouum Teſtamentum; ac proinde ad Eccleſiam Chriſtianam. Itaque recte Athanaſius in Parabolis, quæſt. 1. *Abeuntes in ciuitatem quæ ſita nobis eſt è regione, hominem inuenietis, teſtaceum vas aquæ portantem. Quænam ciuitas eſt? Eccleſia. Quod aquæ teſtaceum vas? Sanctum Baptiſma. Quis ille homo? Præcurſor. Quod cœnaculum? regnum cœlorum.*

*XII.* De Pœnitentia & remiſſione peccatorum, quod eſt quartum in definitione; vtrumque manifeſtum Marci 1 *Prædicabat Baptiſmum μετανοίας reſipiſcentiæ, ſiue pœnitentiæ, ad remiſſionem peccatorum.* Quomodo Act. 2. *Reſipiſcite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum.* Concilium Nicenum in Symbolo, ὁμολογῶ ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, *Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Baſilius 1. de Baptiſmo, cap. 2. Τὸ δὲ Ἰωάννου βάπτισμα πολυπλάσιον εἶχε τὸ πλέον, *Ioannis Baptiſma multis modis excelluit* baptiſma Moſis. Κατ' οὐδὲν εἰς μηδὲν ἀναβολῆς γινομένης ἐπὶ τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, ἅμα τε προσῆλθέ τις ἐξομολογούμενος τὰς ἁμαρτίας, ὅσας δή ποτ' ἂν καὶ οἵας δή ποτ' ἂν καὶ ἐβαπτίζετο ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ, καὶ εὐθὺς ἐλάμβανε τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτημάτων, *Nulla prorſus facta dilatione per gratiã Dei & Chriſti ipſius, ſimul atque acceſſerat quis, & peccata ſua quantacunq; & qualiacunque fuiſſent, confeſſus fuerat, in Iordane flumine baptizabatur, & confeſtim peccatorũ remiſſionem accipiebat.* Gregorius Nyſſenus in funebri Baſilii, Τὰ παντοδαπὰ μιάσματα, καὶ τὰ ποικίλα τῆς ἁμαρτίας δεσμά, *Multiplicia piacula, varioſque peccati modos:* πάντα τὰ τοιαῦτα τῷ τε κηρύγματι τῆς μετανοίας ἐκλύων, καὶ τῷ περιρραντηρίῳ ὕδατι κατὰ τὸν Ἰορδάνην ἐκπλύνων, *Omnia eiuſmodi tum prædicatione pœnitentiæ diſſoluit, tum aſperſiua aqua ad Iordanem eluit.*

XIII. Quam ad rem Ioannes ipſe clamabat, *Progenies viperarum, quis vobis præmonſtrauit, vt fugeretis ab ira ventura?* Quæ ad eos dicta qui veniebant ad ſuum baptiſmum, oſtendunt finem huius baptiſmi hunc eſſe, vt effugeretur ira æterna. Quod ſi non factum; ergo mendaciter Ioannes prædicauiſſet. Cyrillus Catecheſi 3. πρῶτον ἐδείκνυον τὰ τραύματα, εἶτα ἐπῆγεν ἐκεῖνος τὰ ἰατρεύματα, καὶ τοῖς πιστεύουσιν ἐδίδου λύτρωσιν αἰωνίου πυρός· καὶ εἰ θέλεις αὐτὸς τοῦτο πεισθῆναι ὅτι λύτρωσίς ἐστι τὸ βάπτισμα Ἰωάννου πυρὸς ἀπειλῆς, ἄκουε λέγοντος αὐτοῦ, *Primum nudabant* illi Iudæi *vulnera: tum ille* Ioannes *adhibebat medicamenta; & credentes liberabat ab igne æterno. Ac ſi velis hoc tibi probari, quid Baptiſmus Ioannes ab igne comminationis liberabat, audi ipſum dicentem, Genimina viperarum quis monſtrabit vobis fugere à futura ira?* Prudentius καθημερινῶν ſeptimo, *Sacrato in flumine Veterum pietas lauit errorum notas. Sed tincta poſtquam membra defecauerat Cœlo refulgens influebat ſpiritus. Hoc ex lauacro labe dempta criminum Ibant renati non ſecus, quam ſi rudis Auri recocta vena pulchrum ſplendeat, Micet metalli ſiue lux argentei Sudum polito prænitens purgamine.* Iuuencus lib. 1. *Zachariæ ſoboles deſertis vallibus omnes. Ad deponendas maculas clamore vocabat Fluminis vt liquidi caperent miranda lauacra. Queis animæ ſpecies abluta ſorde niteret.*

XIV. Quod in definitione erat de remiſſione per Chriſtum non indiget, opinor, noua demonſtratione. Nam quæ poſſet alia dari remiſſionis ratio? *Nec enim eſt in alio quoquam ſalus. Nec aliud nomen eſt ſub cœlo quod dictum ſit inter homines, per quod oporteat nos ſeruari.* Actorum quarto. Ac ſane Baptiſtes hoc ipſum exſerte prædicabat, & quantum lateribus valebat, inclamabat, *Ecce Agnus ille Dei, qui tollit peccata mundi.* Ioannis primo. Quæ ſumma eſt vniuerſæ doctrinæ Chriſti. Villagudus in eum locũ, *Quod in vniuerſo Euangelio quæri poteſt, quam remiſſio peccatorum: quam qui habet omnia habet, nam Chriſtum habet.* Vt non ſine cauſa Caluinus hinc collegerit eandem fuiſſe Chriſti, Ioanniſque doctrinam: ideoque & Baptiſmũ. Quem imitatus VVitakerus; Qualis inquit, Ioannis doctrina fuit, talem quoque baptiſmum fuiſſe conſtat. Veram autem Ioannes pœnitentiam docuit, & peccatorum remiſſionem propoſuit: Ergo huius baptiſmus in vera pœnitentia ſuſceptus remiſſione peccatorum minime caruit.

XV. Huic argumento potẽtiſſimo à definitione opponuntur Papiſtarum argumenta præcipua, quæ commodius examinabuntur proximo capite. Nunc ea tantum quæ ſpeciem habent refutationis eorum quæ iam aſſerta ſigillatim; excepto primo, cui contradicere nemo potuit.

XVI. De quarto & quinto nonnihil nugantur. Ad illud reſpondet Bellarminus, Ioannis baptiſmum paſſim dici baptiſmum pœnitentiæ Matthei tertio, Marci 1. Lucæ 3. Actor. 3. & 19. At Baptiſmum CHRISTI, nunquam. Porro eo differre hunc ab illo, quod Ioannis Baptiſmus prouocaret ad pœnitentiam: Chriſti autem, ſupponeret pœnitentiam tanquam diſpoſitionem præeuntem: contrario nempe modo. Deinde; remiſſionem peccatorum non eſſe immediatam & proximum effectum baptiſmi Ioannis; ſed pœnitentiæ: vt ſenſus ſit, Ioannem prædicaſſe baptiſmum pœnitentiæ, id eſt, quod incitaret & inuitaret ad pœnitentiam, quam qui agerent vt oporteret, conſequerentur remiſſionem peccatorum. At baptiſmi Chriſti pœnitentia deſcribitur effectus immediatus.

XVII. Sed in primo luſus eſt vocabulorum: nihil amplius. Fatemur dictum baptiſmum Iohannis, baptiſmum pœnitentiæ. Sed baptiſmum Chriſti non itidem dictum; non verum, niſi totidem numeratis ſyllabis. Nam alioquin idem eſt reapſe, baptiſmus pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum; quod eſt; *reſipiſcite & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum.* Neque aliud diſcrimen, quam quod Matthæus expreſſit quid doceret Ioannes. Petrus autem, quid præſtare deberent accedentes ad baptiſmum. Ideo æque vterque prouocabat ad pœnitentiam. Præterea baptiſmus Chriſti appellatur lauacrum regenerationis: At pœnitentia re idem eſt cum regeneratione, ratione tantum differt, quia regenerationis nomen ſumptum à cauſa; pœnitentiæ vero ab effectu eius cauſæ. Nam Spiritus ſanctus regenerat nos, efficiendo in nobis mutationem illam à malo in bonum, quæ pœnitentia dicitur. Itaque baptiſmus regenerationis & baptiſmus pœnitentiæ idem eſt.

*XXVIII.* Baptiſmum Chriſti ſupponere præuiam pœnitentiam; Ioannis autem ſubſequentem, diſcrimen eſt commentitium. Nam certum eſt baptiſmo Ioannis præiuiſſe pœnitentiam. Matth. 3. *Baptizabantur ab eo confitentes peccata ſua.* Cyrillus paulo ante, πρῶτον ἐδείκνυον τὰ τραύματα. εἶτα ἐπῆγεν ἐκεῖνος τὰ ἰατρεύματα, *Illi primum nudabant vulnera: tum iſte adhibebat remedia.* Ianſenius cap. 13. Concordiæ. *Quem vere pœnitet ſuorum peccatorum, quique tenetur deſiderio remiſſionis eorundem, nihil cunctatur, nihil veretur ea exponere ei per quem ſperat ſe optatam conſequi poſſe vel conſolationem vel remiſſionem: non minus quam ægrotus morbum ſuum detegere ei, à quo ſe ſperat obtinere poſſe deſideratam ſalutem.* Atqui vel Papiſtis teſtibus confeſſio pars eſt pœnitentiæ: quam contritio præcedit. Habes igitur ad Ioannem accedentes Contritos, habes Confeſſos; antequam baptizarentur: & negas pœnitentes niſi poſt baptiſmum?

*XIX.* Sed & falſum, pœnitentiam præire tantum baptiſmo Chriſti, non etiam ſequi. Nam Ioannes de pœnitentia poſt baptiſmum ſuum ita loquitur, *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Hi autem fructus qui ſunt? Τὰ ἀντικείμενα τῇ ἁμαρτίᾳ ἔργα δικαιοσύνης. *Opera iuſtitiæ oppoſita peccato* inquit Baſilius regula 287. in breuioribus: quod meminimus fuſius dicere cap. 10. libri 23. tomi 3. Atqui iidem hi fructus debent ſequi baptiſmum Chriſti. Itaque Paulus Act. 26. eadem phraſi eſt vſus, *Annuntiaui vt reſipiſcerent ſe ad Deum, opera facientes digna pœnitentiæ.* Quare vtrumque baptiſmum itidem præceſſit, itidem ſequuta eſt pœnitentia. Quid igitur diſcriminis?

*XX* At remiſſio peccatorum non immediatum effectum Baptiſmi Ioanis, verum Chriſti. Imo vel neutrius; vel vtriuſque eodem ſenſu Si intelligas effectum immediatum, vt fiat etiam nulla poſita pœnitentia in adultis: falſum eſt, ſic remiſſionem eſſe effectum immediatum baptiſmi Chriſti. Nam vtrinque ſimiliter habes τὴν μετάνοιαν requiſitam. Non tantum enim Ioannis baptiſmus fuit pœnitentiæ; adeo vt qui accederent, confiterentur peccata ſua: ſed etiam Petrus acceſſuros ad baptiſma CHRISTI iuſſit reſipiſcere, & Paulus ſimiliter. Quod ſi aliter, vt ſuppoſita pœnitentia remiſſio ſit à gratia baptiſmi; negatur hoc modo remiſſionem non eſſe immediatum effectum baptiſmi Ioannis. Nam contra demonſtratum; in eo ipſo & promitti & dari. Itaque rurſus diſcrimen nullum: quia nec baptiſmus Chriſti promittit remiſſionem, niſi ſuppoſita pœnitentia: & baptiſmus Ioan. hac ſuppoſita dedit remiſſionem.

*XXI.* Ad quintum Bellarminus reſpondet bis peccari. Primo, in antecedente. Neque enim fuiſſe doctrinam Ioannis eandem & Chriſti, niſi hoc ſenſu, quod nihil Ioannes docuerit contrarium Chriſto. Sed tamen nihil docuiſſe de Chriſti reſurrectione; ne de paſſione quidem expreſſe. Nam quod agnum Dei vocarit, poſſe referri ad innocentiam, & manſuetudinem; etiamſi victima non fuiſſet. Secundo, in conſequentia. Neque enim doctrinam quicquam facere ad Sacramenti eſſentiam & veritatem. Probat hoc, quia alioqui hæretici, qui habent falſam doctrinam, haberent falſa Sacramenta: qui eſt error Donatiſtarum. Sicut igitur diuerſitas doctrinæ non facit diuerſum baptiſma: ſic doctrinæ ſimilitudinem non facere baptiſma vnum.

*XXII.* Monſtrum nouum: Non fuiſſe doctrinam Ioannis eandem & Chriſti, niſi quod nihil habuerit contrarium. Quomodo ſcilicet eadem doctrina Aphoriſmorum Hippocratis, Elementorum Euclidis, Almageſti Ptolemæi, Catonſiq; de re Ruſtica, dici poteſt cum doctrina Chriſti. Egregiam ſane laudem, & dignam præcurſore: dignam eo, qui venit vt præpararet vias Domini. Scilicet hic Ieſuitarum triumphus eſt! Atqui primum vtraque eſt eiuſdem generis, vtpote religioſa: adde eiuſdem ſpeciei; religionis Chriſtianæ; denique amplius: Doctrina Ioan. initium Euangelii, ſumma Euangelii. Cur ergo tantum eadem, quia non contradictoria?

*XXIII.* Atqui nihil de reſurrectione Chriſti, nihil de paſſione. Primo, de paſſione falſum. Nam agnum dicere qui tollit peccatum mundi, non potuit, vt non paſſionem ſignificaret. Quia hæc inde metaphora ſumpta eſt Propter innocentiam, & manſuetudinem conceſſerim equidem: ſed propterea duntaxat, abſurdiſſimum: quia hæc ſola non tollat peccatum mundi. Alcuinus in hunc locum, *Quomodo autem peccata mundi tollat, quo ordine iuſtificet impios Apoſtolus Petrus oſtendit; qui ait, Non corruptibilibus argento vel auro redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni incontaminati & immaculati Ieſu Chriſti.* Theophylactus, τοῦ Θεοῦ λέγεται ἀμνὸς ὁ Χριστὸς, εἴτε τοῦ Θεοῦ ὡς προσδεξαμένου τὸν ἐπὶ σωτηρίᾳ ἡμῶν θάνατον τοῦ Χριστοῦ, εἴτε ὡς τοῦ Θεοῦ δόντος αὐτὸν ὑπὲρ ἡμῶν εἰς θάνατον, *Dei agnus dicitur Chriſtus, ſiue tanquam Dei acceptantis Chriſti pro ſalute noſtra mortem: ſiue tanquã tradentis eum pro nobis in mortem.* ὥσπερ εἰώθαμεν λέγειν τόδε δὲ τὸ θῦμα τοῦ δεῖνός ἐστιν, ἀντὶ τοῦ ὁ δεῖνα τοῦτο προσήγαγε· οὕτως οὖν καὶ ὁ κύ-

ἐκ῀ λέγεται ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ὡς τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς διὰ τοὺς περὶ ἡμᾶς ἀγάπην δόντος αὐτὸν εἰς σφαγὴν ὑπὲρ ἡμῶν, *Prout ſolemus dicere. Hæc eſt huius hoſtia; pro eo quod eſt, hic iſtam obtulit Sic igitur Dominus dicitur agnus Dei, nempe Dei Patris propter noſtri dilectionem tradentis eum in occiſionem pro nobis.* Pererium vide, & Toletum.

*XXIV.* Præterea; cui bono? Nam baptiſmum Chriſti inchoaſſe volunt Papiſtæ ab ipſo Iordanæ cum Chriſtus eſt baptizatus. Bellarminus cap. 5. *Baptiſmus Chriſti inſtitutus eſt, quando Dominus ipſe in Iordane à Ioanne baptizatus eſt.* Atqui tunc temporis nondum quicquam prædicauerat Chriſtus aut de morte, aut de reſurrectione ſua. Fuitne igitur tunc aut doctrina Chriſti, non doctrina Chriſti, aut baptiſmus, non baptiſmus Chriſti? Denique ad baptiſmi veritatem; non exacta requiritur omnium doctrinæ capitum enucleatio: ſed elementaris; vt c. 6. ad Hebræos nominatur βαπτισμῶν διδαχὴ inter Chriſtianitatis ςοιχεῖα.

*XXV.* Doctrinæ veritas, inquit, nihil ad baptiſmi eſſentiam. Vehementer falſum. Nam quis neſcit *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti* legitime adminiſtrandum baptiſma, & non legitime in Patrem ſolum Deum; & Filium Patris miniſtrum? Atqui hoc ipſum pertinet ad doctrinæ veritatem. Et quis neſcit in hæreſi inutiliter haberi baptiſmum? Atqui vtilitas baptiſmi ad eſſentiam pertinet, quandoquidem Sacramentum eſt regenerationis.

*XXVI* Sed ſi eſt doctrina de eſſentia: ergo quibus falſa eſt doctrina, baptiſma nullum Imo doctrina, inquam, vel baptizantis eſt, vel baptizati. Sed baptizantis, negatur conſequentia. Nam veritas doctrinæ quam baptizatus amplectitur; ſufficit, vt ſit verum baptiſma: & vt veritas doctrinæ ſit neceſſaria baptiſmo. Sin autem doctrina eſt ſuſcipientis baptiſmum; conſentitur baptiſma eſſe nullum, quantum ad effectum, id eſt, inutiliter poſſideri, vt amat Auguſtinus loqui: quantumuis externa cæremonia non ſit ludicra. Quod ſi verum, doctrinæ veritatem requiri ad efficaciam baptiſmi; profecto verum eſt eandem neceſſariam, adde eſſentialem baptiſmo. Etſi enim non eſt repetenda ablutio; tamen addenda veritas doctrinæ, vt integrum poſſideatis Sacramentũ, conſtans ex ſigno & re ſignificata.

*XXVII.* Denique illud ſi diuerſitas doctrinæ non faciat diuerſum baptiſmum: Ergo identitatem non facere vnum; dicitur abſurde. Quia diuerſitas doctrinæ nunquam eſt tanta inter eos qui baptizant, vt non ſit aliquid identitatis remanens ex veritate: à qua peti debet identitas baptiſmi; quæ corrumpi non poteſt adhærente falſitate; quia per accidens Aſt in identitate doctrinæ nihil eſt contrarium. Si ergo aliquid veri identitatem baptiſmi efficit, multo magis tota doctrina vera.

*XXXVIII.* Hactectenus argumentum noſtrum primum. Alterum nunc. Chriſt⁹ Baptizatus eſt baptiſmo noſtro. At idem baptizatus eſt baptiſmo Ioan. Ergo baptiſmus Io. eſt baptiſmus noſter: id eſt, idem cum eo quo baptizantur Chriſtiani: hi autem baptizantur baptiſmo Chriſti. Itaq; baptiſmus Io. eſt baptiſmus Chriſti. Minor eſt certa, teſtib. tribus Euangeliſtis. Marc. 1. breuiter, *Venit Ieſus à Nazareth vrbe Galileæ, & baptizatus eſt in Iordane à Ioan.* Lucas 3. *Factum eſt autem quum baptizaretur omnis populus, & Ieſus baptizatus eſſet, & precaretur, vt apertum ſit cœlum.* Matth. 3. *Aduenit Ieſus à Galilea in Iordanem ad Ioan. vt baptizaretur ab eo. At Io. obnixe prohibebat eum; dicens; Ego neceſſe habeo à te baptizari, & tu venis ad me? Reſpondens aũt Ieſus dixit ad eum; Omitte nunc? ita enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Tunc omittit eum. Et baptizatus Ieſus aſcendit ſtatim ex aqua, & ecce aperti ſunt cœli.*

*XXIX.* Maior probatur, primum ratione; deinde autoritate. Ratio hæc eſt: Quia Chriſtus ſuſcepit in ſeſe reliqua Sacramenta; Circunciſionem, Paſcha, Euchariſtiam: Ergo ſimiliter Baptiſmum.

*XXX.* Veteres conſentiunt. Nazianzenus oratione 48 ὄψει καὶ καθαιρόμενον Ἰησοῦν ἐν τῷ Ἰορδάνῃ τὴν ἐμὴν κάθαρσιν, *Et Ieſum purgatione mea in Iordane purgari videbis.* Ad quem locum Elias, *Breui, inquit, futurum eſt, vt Chriſtum mea cauſa purgari videas, ea purgatione. quam mihi adhiberi cõueniebat, vtpote peccatis fœdato. Nam noſtri vice baptizatus eſt:* τὴν ἐμὴν κάθαρσιν nota. Nõ enim internam: quandoquidem purus eſſet ab omni macula: Ergo externã, id eſt Sacramentalem. Sacramentalis autem noſtra purgatio nulla, niſi baptiſmus Chriſti Neceſſe eſt ergo eundem eſſe baptiſmum Io. & Chriſti. Ad eandem mentem Emiſſeno homil. 1. de Epiphan. dictum, *Nobis vel ex Virgine natus eſt quod ſtella monſtrauit, vel ex baptiſmo renatus eſt, quod Iordanis alueo conſecrauit* Nam nobis renatus quomodo, ſi per baptiſmum nullo genere eundem cum noſtro?

*XXXI.* Rurſus dicunt plurimi, baptizari voluiſſe Chriſtum, vt Eccleſiæ baptiſmum conſecraret; & in eũ finem aquas conſecraret purgaretq;. Quod nos profecto intelligere non poſſumus, ſi toto genere diuerſum baptiſmũ ſuſcepit: quomodo certe nobis Circumciſionem nõ conſecrauit; non agnum Paſchalem. Nazianzenus oratione 38. dixit Chriſtũ ἁγιάζοντα τῇ καθάρσει τὰ ὕδατα, *Aquas purificatione ſua purificantem.* Thom. Catena in Matth. *Chryſoſtomus ſuper Matth. Non vt ipſe remiſſionem peccatorum acciperet per Baptiſmum: ſed vt ſanctificatas aquas relinqueret poſtmodum baptizandis. Auguſt. Saluator enim ideo baptizari voluit, vt non ſibi munditiam acquireret, ſed vt nobis fluenta mundaret.* Emiſſenus homil. 1. de Epiphania, *In Iordanis alueo aquas omnib. gentibus ad ſalutem humani generis ſuo Baptiſmate conſecrauit.*

*XXXII.* Nec nulli dixere cenſecratum baptiſmum. Hilarius Canone 2. *Per illum in aquis ablutionis noſtræ erat ſanctificanda purgatio.* Cyrillus Catecheſi tertia, ἡγίαζε τὸ βάπτισμα ὁ Ἰησοῦς βαπτισθεὶς αὐτός, *Sanctificauit Baptiſmum Ieſus, cum ipſe Baptizatus eſt.* Ἀναμάρτητος ὢν ἐβαπτίσθη, ἵνα χάριν θείαν καὶ ἀξίαν παράσχῃ τοῖς βαπτιζομένοις, *Etiamſi peccato non eſſet obnoxius, baptizatus eſt, vt diuinam gratiam & dignitatem præſtaret iis qui baptizarentur.* ἐπειδὴ γὰρ τὰ παιδία ἐπειδὴ κεκοινώνηκεν αἵματος καὶ σαρκὸς, καὶ αὐτὸς μετέσχε τῶν αὐτῶν, ἵνα τῆς ἐν σαρκὶ παρουσίας αὐτοῦ κοινωνοὶ γενόμενοι, καὶ τῆς θείας αὐτοῦ χάριτος κοινωνοὶ γενώμεθα· οὕτως ἐβαπτίσθη Ἰησοῦς, ἵνα καὶ διὰ τούτου πάλιν ἡμεῖς τῇ κοινωνίᾳ λάβωμεν μετὰ τῆς σωτηρίας τὴν ἀξίαν, *Quemadmodum enim, quia participes fuerunt corporis & ſanguinis, ipſe etiã factus eſt eorum particeps; vt præſentiæ illius in carne nos participes, eiuſdẽ diuinæ gratiæ fieremus participes, ſic baptizatus eſt Ieſus, vt hoc etiã modo per participationem vna cum ſalute gloriã obtineamus.*

*XXXIII.* Nazianzenus orat. 40. poſtquã triplicẽ enumeraſſet generationẽ. τὴν ἐκ σωμάτων, τὴν ἐκ βαπτίσματος, καὶ τὴν ἐξ ἀναστάσεως: addit ταύτας δὴ τὰς γεννήσεις ἁπάσας παρ᾽ ἑαυτοῦ τιμήσας ὁ ἐμὸς Χριστὸς φαίνεται, τὴν μὲν τῷ ἐμφυσήματι τῷ πρώτῳ καὶ ζωτικῷ. τὴν δὲ τῇ σαρκώσει, καὶ τῷ βαπτίσματι, ὅπερ αὐτὸς ἐβαπτίσατο τὴν δὲ τῇ ἀναστάσει, ἧς αὐτὸς ἀπήρξατο, *Has cunctas natiuitates honore à Chriſto meo affectas fuiſſe conſtat, primam, per primam illam & vitalem inſufflationem: ſecundam per incarnationem & Baptiſmum, quo ipſe baptizatus eſt: tertiam denique per reſurrectionem, quam ipſe auſpicatus.* Hic videbatur mihi Billio fuiſſe potius actiue dicendum, *baptizauit*, ἐβάπτισατο: Verum ſcrupulum amouit, & Elias vertens paſſiue, *Incarnatus, ac ſecundum carnem baptizatus, neque enim aliter quam cum carne baptizari licuiſſet, Baptiſmum quoque honore & gloria cumulauit.* Et Damaſcenus libri 4. cap. 10. qui varia baptiſmata enumerans, Πέμπτον, inquit, τὸ τοῦ κυρίου βάπτισμα, ὃ αὐτὸς ἐβαπτίσατο· βαπτίζεται δὲ οὐχ ὡς αὐτὸς χρῄζων καθάρσεως ἀλλὰ τὴν ἐμὴν οἰκειούμενος κάθαρσιν, *Quintum eſt Domini Baptiſma, quo & ipſe baptizatus eſt. Baptizatur autem, non quod ipſe egeret purificatione, ſed meam ſibi approprians purificationem* Cyprianus de Baptiſmo Chriſti, *Veniebat Chriſtus ad Baptiſmum, non egens lauacro, in quo peccatum non erat; ſed vt Sacramento perennis daretur autoritas.*

*XXXIV* Sic autoritas teſtatiſſima res eſt; Chriſtum fuiſſe baptizatum à Ioanne: ac proinde illo ipſo baptiſmo, quo Ioannes vtebatur; & de quo nunc quæſtio eſt. Fuiſſe autem eo ipſo actu conſecratum baptiſmum noſtrum; noſtram purgationem. Quid igitur ſupereſt, quominus concludamus, illum ipſum baptiſmum quo Ioannes vtebatur, fuiſſe noſtrum baptiſmum, noſtram purificationem?

*XXXV.* Opponit Bellarminus. Sic gloriam Chriſto detrahi, imo contumeliam & iniuriam irrogari: neque poſſe baptiſmum Chriſti Chriſto tribui abſque iniuria. Nam cum ſit lauacrum regenerationis & adoptionis filiorum; videretur indiguiſſe Chriſtus regeneratione & adoptione: quæ maxima eſt in Chriſtum blaſphema. Secundo magis glorioſum fuiſſe Chriſto non accipere ſuum baptiſma, quam accipere. Dum enim confert & non accipit, Imperatorem ſe & principem huius militiæ oſtendere, quippe characterem ſuum aliis imprimentem. Quod ſi acciperet, videretur ipſe etiam ad militiam adſcribi. Tertio; Antequam baptizaretur Chriſtus, nunquam apparuiſſe columbam: nunquam apertos eſſe cœlos, nunquam auditam vocem, aut ſanctificatas aquas: & tamen fuiſſe baptiſmum Ioannis, qui poſtea fuerit. Non igitur eundem fuiſſe cum noſtro: videlicet, quia illũ non inſtituerit, ſed acceperit: hũc vero nõ acceperit, ſed inſtituerit.

*XXXVI.* Sed contra ſunt Veteres: Et quidem diſerte Damaſcenus; qui cum quarto loco baptiſmum Ioannis conſtituat; quinto autem baptiſmum Chriſti: tum vero hoc quinto baptizatum Chriſtum διαῤῥήδην aſſeruit. Sed & Nazianzenus, τὴν ἐμὴν κάθαρσιν: & imitatus eſt Damaſcenus: quod nullo modo intelligi poteſt niſi de noſtro baptiſmo. Tum autem quem abſurdum eſt ſuo Baptiſmo Chriſtum ſanctificaſſe aquam nobis baptizandis & tamen non accepiſſe noſtrum baptiſma? Monſtri id quidem ſimile: nec facile rationem Bellarminus eſt expediturus: quantumcunque ſuæ ſophiſticæ confidat.

*XXXVII.* Videtur indiguiſſe regenerationis & adoptionis. Proh! cæcitatem Ieſuiticæ ſophiſtices! Atqui idem Chriſtus communicauit Euchariſtiæ quæ ipſa Sacramentum eſt incorporationis cum Chriſto. An tolerabilius videri indiguiſſe incorporationis? Imo, ne diſcedamus ab hoc ipſo baptiſmo Ioannis. Certe is fuit pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Et qui poſtulabant, fugiebant iram venturam. Cur, quæſo, non viſus Chriſtus indigere pœnitentia, & remiſſione peccatorum, & liberatione ab ira, dum ſuſcepit baptiſmum Ioannis: & viſus tamen indigere regeneratione & adoptione, ſi ſuſcepit baptiſma ſuum? Aut ſi æquè vtrumque, cur indignum videri poſterius, non indignum prius?

XXXVIII. Sed Veteres præſcripſerunt: nec negauerunt videri: ſed negauerunt indiguiſſe. Eo ipſo indicantes indignitatem non in eo eſſe, vt videretur; ſed in eo vt indigeret: itaque illud non negandum; hoc ſerio impugnandum Videri autem, etiam in Ioannis baptiſmo. Chryſoſtomus homilia 12. in Matthæum, ἐπειδὴ γὰρ βάπτισμα μετανοίας ἦν, καὶ εἰς κατηγορίαν τῶν πλημμελημάτων, ἐνῆγεν, *Quia enim erat Baptiſma pœnitentiæ, & in accuſationem peccatorum inducebat.* Nihil hic audis quod de baptiſmo Ioannis non certum, vel Papiſtis teſtibus. Quid ergo? Negatumne videri quicquam eiuſmodi poſſe? Imo additæ cautiones ne videretur, ἵνα μή τις νομίσῃ ὅτι καὶ αὐτὸς μετὰ τῆς τοιαύτης γνώμης ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην ἔρχεται, *Ne quis putaret ipſum etiam cum tali propoſito ad Iordanem venire.* Quid actum ô bone? προδιορθοῦται αὐτὸ τῷ τε ἀμνὸν καλέσαι, καὶ λυτρωτὴν τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην ἁμαρτίας ἁπάσης, *præmuniuit hoc; tum vocando illum Agnum, tum Redemptorem omnium in toto orbe peccatorum,* ὁ γὰρ τὰ παντὸς τοῦ ἀνθρώπων γένους ἁμαρτήματα δυνάμενος ἀνελεῖν, πολλῷ μᾶλλον αὐτὸς ἀναμάρτητος ἦν, *Qui enim cuncta humani generis poterat peccata delere, multo magis abſque omni erat ipſe delicto,* ἵνα μετὰ τοῦ τὸ κἀκεῖνο μετὰ πάσης δέξῃ πληροφορίας, καὶ δεξάμενος ἴδῃς, ὅτι ἑτέραν τινὰ οἰκονομῶν ἐπὶ τὸ βάπτισμα ἔρχεται, *Vt vna cum eo & illud cum omni certitudine admittas: videasq; alia quadã diſpẽſantẽ veniſſe ad Baptiſmũ.*

*XXXIX.* Attende; Obiectio erat. Quiſquis baptizatur, eſt peccator: At Chriſtus baptizatur: Ergo eſt peccator. Solutio quęnam eſt? Papiſta: Diſtinguo, inquit, baptiſmum Ioannis, à baptiſmo Chriſti. De illo conceditur minor, negatur maior: de iſto conceditur maior, negatur minor. Satin acute? At contra, de baptiſmo Ioannis probatur maior. Quiſquis pœnitentiam profitetur, & remiſſionem quærit, eſt peccator: at quiſquis baptizatur baptiſmo Ioannis pœnitentiam profitetur, & remiſſionem quærit: Ergo quiſquis baptizatur baptiſmo Ioannis eſt peccator. Sic abiit in ventos Sophiſtarum ſubtilitas. At Chryſoſtomus argumentum concedit eſſe veriſimile, negat neceſſarium. Itaque diſtinguit aliter: Accedere ad baptiſmum Ioannis, alios propter ſuſceptionem baptiſmi; at Chriſtum propter diſpenſationem aliquam. Illos omnes eſſe peccatores: hunc minime.

XL. Hæc notanda ſolutio eſt. Nam etſi idem Chryſoſtomus oratione de Baptiſmo Chriſti, neget Chriſtum baptizatũ baptiſmo noſtro, ſed Ioannis: tamen vident omnes hoc quem citauimus loco, obiectionem ſumi ex natura baptiſmi Ioannis; qui erat pœnitentiæ, & inducebat ad confeſſionẽ peccatorum. At proinde ſolutionem ei obiectioni accommodari debere: vnde ſequitur fruſtraneum eſſe Bellarmini acumen, quaſi de baptiſmo Ioannis non poſſit idem incommodum timeri; quod de noſtro. Præterea apparet nihilo magis virium eſſe ei incommodo in baptiſmo noſtro. Neque enim propterea ceſſabat œconomia; aut deſinebat Chriſtus eſſe agnus qui tollit peccatum mundi.

*XLI.* In

XLI. In Imperatoriæ dignitatis ratione diffidendum credo Ieſuitis; quorum in Sophiſticæ ludicris exercitatior ætas. Nam contra hactenus inauditum eſt, Imperatorem ſuum ipſius characterem non ſumere, ſuiſque militibus ſolis imponere. Certe noſtris Regibus in bellis æque cruces hæreant candidæ; Hiſpanis rubeæ, ac quibuſque in exercitu militibus: & equeſtris dignitatis inſignia, quis in eorum veſtibus non videt? Quid? quod ipſe teſtatus eſt, à ſe oportere impleri omnem iuſtitiam? Nonne hæc eſt militia Chriſtiana? Et quem vides adſcriptum militiæ (nam & factum ſub lege negare non potes) ei indecora clames inſignia militiæ? Quid? quod Maldonatus teſtatur tunc ad Ioannem acceſſiſſe Chriſtum, non vt Imperatorem, ſed vt priuatum? Denique ridiculus eſt Ieſuita: qui contendat magnificentius Chriſtum non vſum ſuis Sacramentis: qui tamen non neget aliena ſuſcepiſſe. Heus tu qui indignum putaſti ſi adſcriberetur ſuæ militiæ, cenſeu eſſe magnificentius, vt in alienam nomen daret.

XLII. Tertiam eandemque poſtremam ſubtilitatem fateor non aſſequi. Dauus enim ſum, non Oedipus. Non apparuit columba niſi tunc, & tamen idem fuit baptiſmus Ioannis qui prius: Ergo baptiſmus, quem Chriſtus habuit à Ioanne, non eſt idem cum noſtro. Concedo ſane quicquid eſt in antecedente: ſed conſequentiam quid eſt, quod ſaltem reddat probabilem? An iuuabit breuiator Baptiſta? *Apparuit Spiritus Sanctus & vox audita eſt; ad commendandam Chriſti perſonam & dignitatem: ad figurandum effectum Baptiſmi inſtituti. Quæ omnia cum baptizantur fideles, non contingunt.* Hæc ille: in quibus tantundem tenebrarum.

XLIII. Sed hoc habet à ſe clarius. In aliis à Ioanne baptizatis, non adfuerunt eiuſmodi ſigna: Ergo non fuit in illis efficax; nec ſimilis noſtro.

XLIV. Sed quam inepte? Conceditur antecedens. Sed unde conſequentia? Neque vera hæc ad ſigna efficaciam baptiſmi pertinebant: ſed ad baptizati prærogatiuas. Vin ſcire? Baptiſmi efficacia eſt remiſſio peccatorum. Quare ſi hæc ſigna concludunt efficaciam baptiſmi à Chriſto accepti; neceſſe eſt Chriſto remiſſa fuiſſe peccata; quod eſt blaſphemum. Itaque in noſtro argumento nulla hæc ſigna fuerunt: quæ neque acciderunt in baptiſmo, ſed poſt eum.

## CAP. XIII.

### *Contra Baptiſmum Ioannis argumenta Papiſtica.*

I. HÆc Catholicorum fuerunt argumenta. Nunc Papiſtarum omnino quatuor. Primum ab inſtitutione: alterum à forma: tertium ab effectu: quartum à ſuperaddito baptiſmo Chriſti.

II. Primum ita eſt apud Bellarminum. Baptiſmus Ioannis, ab ipſo Ioanne inſtitutus erat. Non ergo erat Sacramentum præſertim nouæ legis. Conſequentia patet, quia nullus homo purus Sacramenta inſtituere poteſt, præſertim nouæ legis. Antecedens probatur; quia paſſim vocetur baptiſmus Ioannis. Matthæi 3. & 21 Marci 11. Lucæ 20. Actor. 1. 18. 19. Quæ denominatio non poteſt ſignificare Ioannem miniſtrum tantum fuiſſe, ſed autorem: alioqui baptiſmus Chriſti potuiſſet etiam vocari baptiſmus Petri, Pauli, Philippi, & aliorum: quod Scriptura cauit diligenter.

III. Reſpondeo, inſtitui aliquid, vel tanquam à ſummo autore; vel tanquam à ſummi autoris miniſtro. Priori modo inſtitutam fuiſſe Abrahamo Circunciſionem; & Apoſtolis Euchariſtiam. Aſt altero, Iſraelitis Paſcha & Sacrificia, & Nouilunia, & alia per Moſem. Eccleſiæ libertatem à legalibus per Apoſtolos in Concilio Hieroſolymitano. Sic multi Papiſtæ tenent, Confeſſionem, extremamque Vnctionem, quas in Sacramentis numerant inſtitutas à Chriſto, per Iacobum Apoſtolum.

IV. Hoc poſito nodus eſt facilis. Nam de autore ſummo, negatur antecedens. De Miniſtro, negatur conſequentia. Non tantum enim Ioannes dixit ſe miſſum vt baptizaret aqua: ſed etiam Chriſtus Matthæi 21. innuit hunc baptiſmum fuiſſe è cœlo. Lucas Brugenſis, *Tacite dat huiuſmodi reſponſum, ſe ea autoritate hæc gerere, quam Ioannes, homo citra controuerſiam miſſus à Deo, ipſi attribuerat: autoritate, inquam, è cælis à Deo immediate profecta, quali & Ioannes ipſe fuerat vſus.* Stella ſic ſenſum expreſſit in Lucæ 20. *Conferte facta mea cum factis illius: & expedite, an ſi non dubitatum eſt de autoritate illius conueniat de mea dubitare.* Et Barradius cap. 2. libri 8. tomi 3. *Quemadmodum Ioannes à vobis facultatem baptizandi, & docendi non poſtulauit, ſed à Deo habuit: ita & ego facultatem faciendi hæc, quæ facio, à vobis non poſtulaui ſed habeo à Patre.* Conſtat ergo autoritate Chriſti baptiſmum Ioannis etſi ab eo ſit, tamen eſſe tanquam à ſummi autoris miniſtro: ac proinde vere eſſe à ſummo autore Deo. Quod ipſum ſic euincitur: Quia nullum Sacramentum poteſt inſtitui ab homine puro, vnde petita confirmatio conſequentiæ: Quare ſi Ioannis baptiſmus fuiſſet à ſolo Ioanne puro homine, nullum fuiſſet ſacramentum. Quod eſt abſurdum.

V. Nam quod Bellarminus obiicit; Deum ſolum in genere inſpiraſſe, & ita mandaſſe vt baptizaret: ſed ritum in particulari Ioannem ipſum inſtituiſſe; non à Deo præſcriptum; nihil habet præter deſperatam audendi temeritatem. Quis enim ferat à Deo baptiſmum eſſe; non eſſe baptizandi ritum? Quaſi baptiſmus ipſe non ſit baptizandi ritus? Aut quaſi non & baptiſmum & baptizandi ritum Dominus comprehenderit, id eſt, talem baptiſmum qualis celebratur; cum Iudæos hac interrogatione perculſit, vnde is baptiſmus eſſet. Baptiſmus, inquam, Ioannis: quem propterea à Ioanne inſtitutum audent mentiri, quia Ioannis dictus ſit. Scilicet vltra communem ſortem ſapiunt Ieſuitæ. Atqui diſerte dixit *Ioannes ſe miſſum vt baptizaret aqua*: quo nihil potuit efficacius dici.

VI. Sed enim Ioannis baptiſmus; quia Baptiſtes autor. Itane? Cuius ergo legem Moſis dicimus? Autoris an Miniſtri? Nam profecto non ſæpius baptiſmum Ioannis legas, quam legem Moſis. Itaque poteſt ea phraſis aliquid in Ioanne peculiare ſignificare, quod non in reliquis baptizantibus: ſed non tamen autorem aſſerere, miniſtrum negare. Nam quod ſubiicit, potuiſſe ſimiliter dici baptiſmum Pauli, aut Petri: ego ero itidem potuiſſe Euangelium dici Petri, Paulive, itidem vt legem Moſis. Vnde ergo factum vt legem Moſis dicamus, non dicamus Euangelium Pauli? Doce hoc me Sophiſta: vt ego te viciſſim doceam illud. Denique Matthæi 21. cum dixit, *Baptiſmus Ioannis vnde erat, è cælo an ex hominibus?* docuit baptiſmum Ioannis dici poſſe, qui tamen eſſet è cœlo.

VII. Secundum argumentum à forma. Baptiſma Chriſti habet inuocationem Trinitatis: At baptiſmus Ioannis non habuit inuocationem Trinitatis: Ergo baptiſma Ioannis non eſt baptiſma Chriſti. Aſſumptionem probat Bellarminus, quia neque Scriptura, neque vlla Patrum traditio docuit habuiſſe. Non poſſumus autem in eiuſmodi rebus, niſi valde temere aliquid fingere ſine teſtimonio Scripturæ aut traditionis.

VIII. Miramini nunc tandem miri hominis caſtitatem, ſanctitatem in rebus religionis? Vnde, aut quo tam extraordinario motu? Niſi forte non à ſe finxerit, ſed a Scriptura, traditioneve didicerit, quod iamiam oraculum effudit; Ioanni Baptiſtæ inſpiratum tantum vt baptizaret: non indicatum baptizandi ritum. Hoccine dixit Scriptura? Hoccine tradidit Auguſtinus, tradidit Tertullianus? Næ aut mihi nulla eſt Ieſuitici ingenii notitia, aut tantæ huius ſubtilitatis laudem, ne oblato quidem auro quantum Tagus voluit, cuiquam Veterum conceſſerint Loiolitic æ perfectionis affectatores. Quid ergo? Nempe hæc nulla religio eſt, ſed inuidia, eorum qui cum ſibi ſuos fontes velint patere; nobis noſtros riuulos non clauſos eſſe pati nequeunt.

IX. Sed ad rem. Probanda erat minor, nullam fuiſſe inuocationem Trinitatis, in baptiſmo Ioannis. Argumentum ei rei negatiuum: quod tamen illi quoties libet, quam ludicre exſiliunt? Et in nobis nuper; cum neque Scripturam, neque ante Lombardum Eccleſiam diceremus numeraſſe ſeptem ſacramenta, quid habuimus ponderis, apud iſtos nunc ſeueriſſimos Cenſores? Sic verum, *non in re, ſed in verbo tantum eſſe virtutem.*

X. Neque Scriptura, inquit, neque traditio habet, in baptiſmo Ioannis fuiſſe Trinitatem inuocatam. Sed quomodo, inquam? Totidemne ſyllabis; vt nunc nuper cœpit Gonterius, & poſt eum Moquotus, & Raconis, nec nemo præterea, exigere à nobis ſcripta teſtimonia; exploſis ſimul & ſemel omnibus conſequentiis? Fatemur ſane. Et cur in Ioanne plus à Scriptura poſtulemus, quam in Apoſtolis? Nam etſi crebro Scriptura dicat Apoſtolos baptizaſſe; tamen nunquam reliquit legendum inuocaſſe Trinitatem in baptizando. Et tamen omnes factum credimus: hoc eſt, non tantum perſuademur Apoſtolos inuocaſſe Trinitatem in baptizando: ſed etiam confidimus doceri in Scripturis. Nimirum, quia ineptum eſt vbi res alioquin conſtet, in voculis ſophiſticationum tricas nectere.

XI. Quod ſi igitur à nudis ſyllabis Sophiſtæ patiuntur viris bonis aliquod eſſe *πρὸς τὴν διάνοιαν* perfugium; tum vero nos inuocatam fuiſſe Trinitatem à Ioanne conficimus cum ex Scriptura, tum ex Traditione: quod neutrum ſperabat fieri poſſe Bellarminus. Primum, eodem argumento, quo vti neceſſe eſt in Apoſtolis. Dixit Paulus ſe baptizaſſe Criſpum & Caium, & Stephanæ domum, 1. ad Corinth. 1. Non dixit inuocaſſe Trinitatem: ſed ego tamen inuocaſſe dico: quia hæc eſſet forma baptiſmi: quod probo ex Matthæi 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Simili prorſus ratiocinatione, dico Ioannem baptizando inuocaſſe Trinitatem: nimirum quod hæc eſſet forma baptiſmi. Quid habes quod opponas? An eſſe hanc formam baptiſmi Chriſti, non Ioannis? Ridicule: nam hoc ipſum diſputatur: & nos contra; fuiſſe formam baptiſmi Ioannis: quia ſit forma baptiſmi Chriſti. An nondum ita imperatum? Nugæ. Nam Apoſtoli ante mortem Chriſti baptizabant baptiſmo Chriſti: id eſt, ante hoc mandatum: ſi mandatum non reperias altius quam notatum Euangeliſtis.

XII. Secundum nobis argumentum: Quicunque orthodoxus baptizat in nomen Chriſti, baptizat in nomine Trinitatis: At Ioannes orthodoxus baptizabat in nomen Chriſti: Ergo in nomine Trinitatis. Maior probatur facile, quia quicunque Chriſtum Orthodoxi nouerunt; iidem Trinitatis myſterium non ignorarunt: quandoquidem Filium ſciuerunt; qui ſine Patre eſſe non poteſt. Sed neque Orthodoxus vllus ignorato Spiritu Sancto. Tum autem etiam Ioannes norat Chriſtum, cui tam luculentum teſtimonium reddidit, Ioannis 1. itaque norat Patrem; ſed & Spiritum Sanctum; quia audiuerat, *Super quem videris Spiritum deſcendentem ac manentem, hic eſt qui baptizat Spiritu Sancto*: Ioannis 1.

XIII. Minor probatur: tum ex traditione; tum ratione. Ambroſius c. 3. libri 1. de Spiritu Sancto, *Ioannes in remiſſionem peccatorum in aduenientis Ieſu, non in ſuo baptizauit nomine. Et ideo Spiritum neſciebant, quia nec Baptiſmum in Chriſti nomine, ſicut Ioannes baptizare ſolebat, acceperant. Ioannes enim licet non baptizaret in Spiritu, tamen & Chriſtum prædicabat & Spiritum.* Gregorius Thaumaturgus in Sancta Theophania, Baptiſten ipſum ſic loquentem inducit Chriſto, *τοὺς ἄλλους βαπτίζων, εἰς τὸ σὸν ὄνομα βαπτίζω, ἵνα πιστεύσωσιν εἰς σὲ τὸν ἐρχόμενον μετὰ δόξης· σὲ βαπτίζων τίνος ἐπιμνησθήσομαι; τίνος δὲ ὄνομα σὲ βαπτίσω; εἰς τὸ τοῦ πατρός; ἀλλ᾽ ὅλον τὸν πατέρα ἔχεις ἐν ἑαυτῷ, καὶ ὅλος ὑπάρχεις ἐν τῷ πατρί· ἀλλ᾽ εἰς τὸ τοῦ υἱοῦ; ἀλλ᾽ οὐκ ἔστι παρὰ σὲ ἄλλος φύσει υἱὸς θεοῦ· ἀλλ᾽ εἰς τὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος; ἀλλὰ σύνεστί σοι διὰ παντὸς ὡς ὁμοούσιόν σοι καὶ ὁμοθέλητον, Alios dum baptizo, in tuo nomine baptizo vt in te cum gloria venientem credant. Te vero baptizans, cuius mentionem faciam? In cuius te nomine baptizabo? An in nomine Patris? At totum habes Patrem in teipſo: & totus in Patre es. An in nomine Filii? At non eſt præter te alius natura Filius Dei. An in nomine Spiritus Sancti? At ſemper vna tecum eſt; vt conſubſtantialis tibi, & eiuſdem voluntatis.*

XIV. Et ſane ita Lucas ſcripſit Actor. 19. *Qui vero audierunt*; ſcilicet Ioannem, *baptizati ſunt in nomen Domini Ieſu.* Sed de hoc ſtatim diſputandum: At hoc ſaltem diſſimulari non poteſt: *Ioannes baptizauit Baptiſmo reſipiſcentiæ, dicens populo, vt in eum qui venturus erat poſt ipſum crederent.* Vnde ſine dubio ortum, vt baptizaſſe dicatur in nomine Chriſti. Eckius homilia 7. *Quæras, qua forma ſit vſus Ioannes in baptizando? Ea ſane, qua dixit, Ego baptizo te in nomine venturi. Id adeo ex Paulo colligimus, qui ait, Ioannes baptizauit Baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus eſſet poſt ipſum, vt crederent.*

XV. Atqui hæc ipſa phraſis, *in nomine Chriſti*, ſatis fuit deſcribendo Apoſtolorum baptiſmo, Act. 10. *Iuſſit Petrus eos baptizari in nomine Domini.* Quæ phraſis crebra: 2. 8. 19. Et poteſt, inquit Bellarminus, cap. 3. intelligi in fide Domini Ieſu, vel autoritate Domini Ieſu, vel baptiſmo a Chriſto inſtituto, vel denique in nomine Domini Ieſu, ſed non ſolius, verum adiuncto Patre, & Spiritu Sancto. Cur in Apoſtolis, ſic in Ioanne longe aliter?

XVI. Inſtat Bellarminus. Primo, probabile eſſe Ioannem nulla verborum formula vſum fuiſſe. Et Paulum ſignificaſſe duntaxat admonuiſſe populum vt crederent in venturum populum. Deinde ridiculum futurum fuiſſe, ſi Chriſtus baptizaſſet in nomine venturi

XVII. Sed quod Bellarmino probabile videtur; idem aliis, idem maxime nobis ridiculum, abſurdum, inſanum videtur. Nam quomodo baptizaſſet in remiſſionem peccatorum? quomodo baptiſmo pœnitentiæ? Nam baptiſmus in aqua per ſe & ſimpliciter neque pœnitentiam ſignificat, neque remiſſionem, aut promittit, aut efficit. Quæ autem ſic ſunt ex ſe indeterminata ſigna; neceſſe eſt verbo determinari, ipſo alias docente Bellarmino. Quare nullo addito verbo, nihil Ioannes niſi impoſtoris partes eſſet functus, & incognitis ſignis populo illuſiſſet. *Etenim ſi incertum ſonum tuba dederit quis apparabitur ad bellum?* Prioris ad Corinthios decimo quarto.

XVIII. Chriſtum baptizare in nomen venturi ridiculum fuiſſet. Atqui primum; venturus, & qui venit non ſunt eſſentiales differentiæ, ſed tantum modales. Deinde, quid venturum dicis? Naſciturumne? Nimis malitioſe: & quidem in baptiſmo, in quo mortem oportuit annuntiari; ad quam proprie remiſſio pertinet. Atqui hoc modo etiam Chriſtum oportuit eſſe ridiculum. Nam certe ante ſuam crucem oportuit baptizare in Chriſtum moriturum, id eſt, hoc ſaltem modo venturum. Nec Ioannes potuit Chriſtum dicere abſolute venturum abſque diſtinctione; qui iam eſſet natus, & quidem annos circiter triginta. Secundum quid autem natus ſi alias intelligatur, cur hic ſit ridiculum?

XIX. Tertium argumentum ab effectu nemini omiſſum. Axioma ponunt, *Baptiſmum Ioannis non habuiſſe eandem vim, & efficaciam cum Baptiſmo Chriſti.* Intelligunt præter aquam, externamque ex ea cutis ablutionem nihil fuiſſe in eo. Diſerte Polygranus, *Ioannis Baptiſma tantum fuit corporalis ablutio in aquis.* Quaſi qui thermas aperiunt; niſi quod iſte frigidam ſuffunderet. Itaque poterat puto æra poſcere, abſque Simoniæ metu, quando nihil ſpirituale vendebat. Sed enim quid erat tanti, vt turmatim accurrerent ad deſertum homines, totaque Iudæa migraret ſedibus ſuis, tantum in ſpem euocati refrigerandi corpuſculi, purgandæve cuticulæ, quod domi poterant; quod domi ſolebant quotidie? Et non pudet, virum, quo nullus erat maior inter natos è mulieribus, ex Baptiſta balneatorem facere? Magnum hoc, magnæque dignitatis artificium; & dignum præcurſore Chriſti; dignum quod Scribæ ambigerent è cœlo eſſe, an è terra.

XX. Ei rei argumenta duo. Prius ab ipſo Ioanne profitente. Matth. 3. Marci 1. Lucæ 3. *Ego baptizo in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni.* Sic enim ſuum ipſe baptiſmum diſtinguit à baptiſmo Chriſti, vt ſuo ſolam tribuat aquam; aſt Chriſti, Spiritum Sanctum.

XXI. Reſpondeo, falſum ſumi: diſtingui baptiſmos: nam contra potius diſtingui baptizantes: id eſt, quænam virtus eſſet aut efficacia Ioannis, in baptizando, quæ Chriſti. Quæ diſtinctio perpetua, & pertinens ad vniuerſum miniſterium; de quo Paulus 3. prioris ad Corinth. *Ego plantaui, Apollo rigauit; Deus autem incrementum dedit.* Etenim certum eſt quoſcunque miniſtros nihil efficere in ſacramentis conferendis, quam id quod exterius eſt, & ad corpus pertinet. Auguſtinus in Ioannem tractat. 5. *Potuit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſi vellet, dare poteſtatem alicui ſeruo ſuo, vt daret Baptiſmum ſuum tanquam vice ſua, & transferret à ſe baptizandi poteſtatem, & conſtitueret in aliquo ſeruo ſuo, & tantam vim daret Baptiſmo tranſlatio in ſeruum, quantam vim haberet Baptiſmus datus à Domino. Hoc noluit ideo, vt in illo ſpes eſſet baptizatorum, à quo ſe baptizatos agnoſcerent.* Paulo poſt, *Baptizauit ergo Paulus tanquam miniſter; non tanquam ipſa poteſtas. Baptizauit autem Dominus tanquam poteſtas.* Chryſoſtomus in 2. ad Timotheum homilia 2. οὐκ ἔστι τοιαῦτα ἃ χαρίζεται ὁ θεὸς, ὡς ὑπὸ ἱερατικῆς ἀρετῆς αὐτὰ [illegible] τὸ πᾶν τῆς χάριτός ἐστι· τούτου ἐστὶν ἀνοῖξαι τὸ στόμα· τὸ δὲ πᾶν ὁ θεὸς ἐργάζεται· σύμβολον τοῦτο πληροῖ μόνον, *Non poſſunt quæ Deus ipſe largitur, velut ſacerdotalis virtute perfici: omnia quippe diuina ſunt gratiæ. Huius tantum munus eſt aperire os, cæterum Deus cuncta operatur: ſymbolum iſte tantummodo implet.* Tum expendit Ioannis exemplum. Non deſcendiſſe Spiritum niſi illo baptizante: & tamen non id ipſum effeciſſe: ἵνα μάθῃς ὅτι σύμβολον ὁ ἱερεὺς πληροῖ, *vt ſcias ſacerdotem ſymbolum implere tantummodo.* Deſcendit tamen Spiritus ἵνα μάθῃς ὅτι τὸ πᾶν ὁ θεὸς ἐργάζεται, *Vt diſcas Deum omnia operari.* Hieronymus in Eſaiæ 4. *Ioannes Baptiſta in Euangelio loquebatur, Ego baptizo vos in aqua: qui autem poſt me venit, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne. Ex quo diſcimus, quod homo tantum aquam tribuat, Deus autem Spiritum Sanctum: quo & ſordes abluuntur, & ſanguinis peccata purgantur.* Auguſtinus in Ioan. tractat. 6. *Antequam veniret ad flumium, cum multi ad Ioannem currerent baptizari ait illis, Ego quidem baptizo vos in aqua: qui autem poſt me venit, maior me eſt; cuius non ſum dignus corrigiam calceamenti ſoluere, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni. Iam & hoc nouerat. Quid ergo per columbam didicit: niſi quandam proprietatem in Chriſto talem futuram, vt quamuis multi miniſtri baptizati eſſent, ſiue iuſti ſiue iniuſti, non tribueretur ſanctitas baptiſmi, niſi illi ſuper quem deſcendit columba; de quo dictum eſt, Hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto? Petrus baptizet: hic eſt qui baptizat. Paulus baptizet: hic eſt qui baptizat. Iudas baptizet: hic eſt qui baptizat.*

XXII. Manifeſta res eſt: ſignificari à Ioanne; quotieſcunque baptiſmus celebratur diſtinguendum diligenter poteſtatem à miniſtro. Poteſtatem eſſe Chriſtum; miniſtrum, Ioannem, Petrum, Paulum, Iudam. Miniſtrum nunquam dare Spiritum Sanctum; id eſt, nunquam baptizare in Spiritu & igni. At Chriſtum ſolum. Id ſi verum Ergo vel non diſparat baptiſmum Ioannis in aqua, à baptiſmo Chriſti, in aqua: ſed tantum baptiſmum Ioannis in aqua; à baptiſmo Chriſti in Spiritu. Vel æque ſeparat Apoſtolorum baptiſmum in aqua; à Chriſti baptiſmo in aqua. Hoc autem eſt abſurdiſſimum. Itaque illud potius verum. Breuius dicam, nec obſcurius, Baptizare vel κυρίως ad aquæ ablutionem pertinet; vel tropice, ad efficaciam Spiritus Sancti. Noſtra quæſtio eſt de proprietate; vtrum baptiſma Ioannis in aqua; differat à baptiſmate Chriſti in aqua. Negamus hoc confici iſto teſtimonio: quia videlicet comparetur baptiſmus Ioannis in aqua: non baptiſmo Chriſti in aqua: ſed baptiſmo Chriſti in Spiritu. Itaque Sophiſtæ ludunt παρὰ τὴν ὁμωνυμίαν.

XXIII. Inſtantia, Facile, inquit Bellarminus, refellitur hæc ſolutio: quia Ioannes de ſuo miniſterio loquitur in præterito tempore: de Chriſti operatione in futuro: Ego baptizaui; ille baptizabit. Non igitur per miniſterium Chriſtus dedit remiſſionem: tunc enim dicendum fuerat, ego baptizaui; ille baptizauit: ſicut Paulus dixit, *Deus incrementum dedit.*

XXIV. Imo inſtantia nulla. Primum enim, quantumcunque ſit inter præteritum diſcrimen & futurum; tamen non conficitur, non idem dici de baptiſmo Petri, Pauli, Iudæve, id eſt, Chriſti ab iis adminiſtrato: qua in re præcipuum momentum eſt: quod Sophiſtæ ne attigerunt quidem Enimvero res eſt perſpicua: neque enim Chriſtus ſolus erat baptizaturus; ſed etiam, exempli gratia, Paulus. Itaque ſenſus eſt, Paulus baptizabit vos aqua; ſed Chriſtus baptizabit Spiritu & igne. In hoc enunciato, quid habet loci Sophiſtica temporum? Non enim propterea concludet Bellarminus toto genere diſtare baptiſmum Chriſti, à baptiſmo Pauli. Et nos ille ſperauit, ſuo deludendos artificio?

XXV. Deinde apparet temporum hanc grammaticationem eſſe importunam, & intempeſtiuam. De ſe Ioannes dixit, baptizaui. Apud Marcum, inquam: aſt apud Matthæum, & Lucam diſerte ἐγὼ βαπτίζω, in præſenti: nempe ad deſignandum totum ſui miniſterii curſum: & cum baptizaſſet iam; & quandiu porro baptizaturus eſſet. Et ſane cum certum ſit, poſt id momenti, adhuc baptiſmum celebraſſe; impotens ſit cerebri, qui cogitet voluiſſe de iis tantum monere quos antea baptizaſſet. Itaque rurſus ſenſus eſt, Ego baptizabo in aqua: at ille baptizabit in Spiritu. Et hic iterum quid loci ſophiſticæ temporum?

XXVI. Futurum autem quis ignorat pro præſenti frequentiſſimum, maxime ex idiomate Hebræo, cum perpetuitas deſignatur, ſiue continuatio? Pſalmo 1. de arbore fertili, *Fructum ſuum dabit in tempore ſuo*: Bellarminus, *Solæ illæ arbores omni ex parte perfectiſſimæ ſunt, quæ folia, fructumque producunt, & folia ſemper retinent, & omnes omnino fructus tempore ſuo maturos præſtant.* Cur non hoc loco ſimiliter, baptizabit, pro baptizat, id eſt, id habet ſiue muneris ſiue poteſtatis, vt baptizet Spiritu? Nam & Ioannis 1. *Hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto*, οὗτός ἐστιν ὁ βαπτίζων, tempore præſenti.

XXVII. Imo, inquit Bellarminus, illud, *Hic eſt qui baptizat*, non ſignificat quod tunc Chriſtus baptizaret, cum Ioannes ita loquebatur: ſed ſignificat, quod Chriſtus, quando baptizat, in Spiritu Sancto baptizat, non in ſola aqua: vt Ioannes.

XXVIII. At profecto multo minus ſignificat tunc non baptizaſſe Chriſtum Spiritu, cum Ioannes baptizabat aqua. Cæterum admitto ſenſum, cum baptizaret, baptizaſſe Spiritu: ſed ita vt meminerimus; primo nunquam Chriſtum baptizaſſe aqua. Itaque vel in vtroque membro tropum eſſe; vt ſenſus ſit, non omnes baptizaſſe; puta reprobos, in quos non infunditur Spiritus: vel in priore, ſi intelligatur baptiſmus aquæ, de miniſtris ſumendum: vt ſit cum miniſtri baptizabant; ſiue malis cum Chriſtus baptizauit aqua per miniſtros ſuos, tunc ipſum baptizaſſe Spiritu. Sed hoc æque ad Ioannem pertinet, vt ad Petrum, Paulumve. Itaque ſolutio perſtat.

XXIX. Maldonatus magno faſtu, vt facile agnoſcas eum, qui præ ſe omnes nihili faciat; *neque quid hoc loco Ioannes dicat, neque cur dicat, vllo modo videntur intelligere.* Nam is ille eſt ſcilicet, cui ſoli datum ſapere; an ſaltem de ſe nimis magnifice ſentire? Sed quid hoc eſt ergo, quod nos latuit? Quorſum, inquit, de baptiſmo Chriſti mentionem inferret, niſi vt ex diuerſa baptiſmi conditione diuerſam perſonæ ſuæ, & Chriſti conditionem probaret? Magnum arcanum & dignum cui aperiendo quicquid eſt Loiolitarum inſudaret. Fuit, ſcilicet, incognitum Caluino, qui ſcripſit, *Hoc vno Lucas vberior eſt, quod prius admonet, qua occaſione habita fuerit hæc concio: nempe quia periculum erat ne Chriſti honorem falſa opinione ad eum plebs transferret. Ergo vt anſam errori mature præcidat, diſerte teſtatur ſe non eſſe Chriſtum: atque ita ſe ab illo diſcernit, vt ius illi ſuum aſſerat.* Sed hi bipedum ſuperbiſſimi, ſuo more faciunt; vt ſuis aduerſariis ne hunc quidem aerem communem eſſe patiantur.

XXX. Chriſti ergo baptiſmi mentio eſt facta, vt ex diuerſa baptiſmi conditione diuerſæ perſonarum conditiones deſignarentur. Eſto ſane: ne nihil omnino Ieſuitis gratificari velle videamur. Sed baptiſmum Chriſti, quem intelligis vir bone? In aqua. Negat, paulo importunior tibi Caluinus, *Hoc præcipuum eſt, inquit, quod Chriſtum facit Baptiſmi ſpiritualis autorem: ſe vero externi duntaxat miniſtrum. Vnde colligimus eius conſilium minime fuiſſe, Baptiſmum ſuum diſtinguere ab eo quem Chriſtus diſcipulis mandauit, & cuius perpetuum vſum voluit in Eccleſia vigere: neque enim ſignum viſibile alteri ſigno opponit: ſed Domini & ſerui perſonas inter ſe conferens, docet quid proprium ſit Domino & quid ſeruo tribuendum.* Aretius, *Ioannis Baptiſmus igitur eſt externus, vtpote ſolius aquæ: Chriſti vero eſt internus, & fit Spiritu Sancto ac igni. Aqua hic Spiritui & igni opponitur: ac ſi dicas illum externum eſſe, hunc internum: Ioannem conferre Sacramentum Baptiſmi, & ſymbolum externum adminiſtrare: Chriſtum vero rem ipſam dare, mentes regenerare, innouare vitam, quod ſolius Chriſti eſt proprium.* Id ipſum, quod paulo ante notabimus; ludere viros aſtutiores, quam meliores, homonymia. Tam paruo conatu reprimenda fuit Maldonati inſolentia, vt pauco puluere apicularum furor.

XXXI. Alterum argumentum Bellarmino. Ioannes erat præcurſor Domini: atque ad id ſolum venerat, vt appararet vias eius. At parare viam Saluatori, non eſt dare ſalutem & iuſtificare: ſed diſponere ad recipiendum Saluatorem, & ſalutem: alioquin ipſe Saluator fuiſſet, non præcurſor Saluatoris. Facilior forma erit ratiocinationis: Nullus præcurſor Saluatoris dat ſalutem & iuſtificat: At Ioannes erat præcurſor Saluatoris: Ergo non dedit ſalutem, aut iuſtificauit. Rurſus. Cuiuſcunque baptiſmi idem effectus eſt, qui Chriſti; idem dat ſalutem, & iuſtificat: At Baptiſtes non dedit ſalutem aut iuſtificauit: Ergo Ioannis baptiſmi non eſt idem effectus, qui baptiſmi Chriſti.

XXXII. Reſpondeo: Dari ſalutem ab aliquo, vel αὐθεντικῶς vel ὑπουργικῶς. Priori modo conceditur prioris ſyllogiſmi maior: nec tantum de præcurſore, ſed etiam vniuerſaliter de Miniſtro. Etenim non Ioannes tantum, ſed ne vllus quidem Apoſtolorum dedit ſalutem αὐθεντικῶς. Sed negatur in poſteriore ſyllogiſmo maior. Nam omnium Chriſti miniſtrorum baptiſmus idem habet effectum, cum baptiſmo Chriſti: & tamen nullus eorum ſalutem αὐθεντικῶς: quia, vt audiuimus ex Auguſtino aliud eſt Poteſtas, aliud Miniſter.

XXXIII. At ſi ὑπηρετικῶς dicas, conceditur ſecundi ſyllogiſmi maior: ſed primi negatur. Nam omnis miniſter Chriſti ſuo fungens miniſterio dat ſalutem ὑπηρετικῶς. At præcurſor Chriſti erat miniſter Chriſti: Ergo præcurſor Chriſti fungens ſuo miniſterio dabat ſalutem ὑπηρετικῶς. Atque adeo hoc erat prædictum ab Angelo: Lucæ primo, *Multoſque filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum.*

XXXIV. Intelligo debuiſſe Ioannem præparare vias Domini. Sed nego hoc non fuiſſe dare ſalutem ὑπηρετικῶς. Imo dico hoc ipſum fuiſſe dare ſalutem ὑπηρετικῶς. Neque enim Præcurſor & Apoſtolus effectuum diuerſa genera ſunt, ſed tantum diuerſam menſuram notant vt illius miniſterium eſſet contractius; horum vero magnificentius. Quia ſcilicet præcurſoris erant tantum tentamenta prima Eccleſiæ; Apoſtolorum autem plena ædificatio. Sed ſiue tentetur Eccleſia, ſiue ædificetur, eadem ſalus eſt. Itaque Baptiſtes quibus prædicabat, eos monebat fugere ab ira ventura. Sicut Petrus Actor. 2. *Sermonibus pluribus obteſtabatur, & exhortabatur, dicens, Seruamini ἀπὸ τῆς γενεᾶς à generatione iſta praua.* Et 3. *Reſipiſcite, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra poſtquam venerint tempora refrigerationis à conſpectu Domini.*

XXXV. Supereſt poſtremum argumentorum aduerſariorum. Qui acceperunt baptiſma Chriſti, non ſunt amplius baptizandi. At qui acceperant baptiſma Ioannis erant amplius baptizandi: Ergo baptiſmus Ioannis non erat baptiſmus Chriſti. Maiorem vtrinque eſſe conceſſam. Minorem à nobis negatam probari tribus argumentis è Scriptura: quæ ſigillatim examinanda.

XXXVI. Primus ergo locus, Matth. 3. *Ego baptizo in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni.* Aperte, inquit, videmus eoſdem quos Ioannes baptizauerat, dici baptizandos iterum à Chriſto.

XXXVII. Παρερμηνεία eſt. Nam nemo prorſus eſt à Chriſto baptizatus aquæ baptiſmo. Itaque non poteſt intelligi ſecundus additum aquæ lauacrum; poſtquam traditum eſſet à Ioanne. Sed vt diximus, ſignificat ſigno viſibili collato ab hominibus miniſtris, opus eſſe addi Spiritum, quem nulla hominis opera tribuit, ſed ſola Chriſti potentia diſtribuit. Quare eadem doctrina communis eſt baptiſmo ab Apoſtolis, & quibuſvis alijs miniſtris collato.

XXXVIII. Secundus locus ex hiſtoria Euangelii & Actorum. Ibant ad Ioannem vt baptizarentur tota Hieruſalem, omnis Iudæa, & regiones omnes vicinæ Iordani. Itaque rari admodum erant eo tempore non baptizati à Ioanne. At ipſo die Pentecoſtes baptizata ſunt tria millia: & paulò poſt, quinque, præter eos, quos Philippus baptizauit, & alii diſcipuli in variis locis Iudææ & Samariæ, Actor. 2. & 4. Ergo neceſſe eſt, multos à Ioanne baptizatos, iterum ab Apoſtolis baptizatos fuiſſe. Quomodo enim credibile, inter tot millia quos Apoſtoli in Hieruſalem baptizarunt, nullos fuiſſe à Ioanne antea baptizatos: ſi verum, quod Marcus dixit vniuerſos Hieroſolymitas à Ioanne baptizatos.

XXXIX. Εὐηθ. Ἱεροσολυμιτῆς ἀκριβείας: Vniuerſi Hieroſolymitæ. Quaſi vnus ſi deducatur de numero mendax ſit Spiritus Sanctus. Non enim ſolent Ieſuitæ ſuæ logiſtices obliuiſci: qua autore ſi vel vnus deſit, ſumma falſa eſt. Ad eam rationem mentitus iis iudicibus erit Marcus, qui omnes Hieroſolymitas dixerit, ſi vel Caiphæ pediſequus deſideretur.

XL. Verum non omnium Papiſtarum tam nequiter exactus calculus eſt. Lyranus, *Id eſt, multi de illa regione, & de Ieroſolymis. Et eſt hyperbolica loquutio, ſicut in communi modo loquendi dicitur de aliquo ſpectaculo, tota ciuitas vadit ad tale ſpectaculum licet aliquando maior pars populi non vadat.* Carthuſianus, *Omnis Iudææ regio, id eſt, omnes habitantes in regione Iudæorum, hoc eſt, quidam de omnibus. Et Ieroſolymitæ vniuerſi, id eſt, habitatores Ieruſalem. Iſta diſtributio intelligenda eſt pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum, vt ſit hyperbolica loquutio: iuxta quem modum ait Apoſtolus, Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.* Caietanus, *Et eſt ſenſus, non quod omnes egredientes ad eum audiendum baptizarentur, multi enim non receperunt eius Baptiſmum: ſed quod omnes egredientes ad ſuſcipiendum Baptiſmum baptizabantur non à diſcipulis Ioannis, ſed ab illo.* Ianſonius cap. 13. *Factum ſtatim vt omnis Iudæa, id eſt, maxima pars hominum totam Iudæam inhabitantium, & regionem vniuerſam quæ erat circa Iordanem, & vniuerſi, hoc eſt, plerique Ieroſolymitæ ex omni ætate, conditione & ſexu ad eum conuenirent, Baptiſmumque ab eo ſuſciperent.* Ne Ieſuitarum quidem. Salmero, *Per Ieroſolymam intellige magnam eius partem: ſed non omnem.* Sa. *Vtitur Scriptura modo loquendi vulgari. Sic ſolemus dicere, tota ciuitas concurrit, id eſt, maxima pars ciuium.* Ita vides, quid ſint vniuerſi Ieroſolymitæ; vel plurimi, vel multi, vel etiam aliqui: at certe non omnes nullo excepto. Cur non ergo ſuperfuerint & tria, & quinque millia, Apoſtolis baptizanda, non prius baptizata?

XLI. Eſt tamen alia circunſtantia: quod Iudæi baptizati per Chiliadas non fuerint Ieroſolymitani, ſed Parthi, Medi, Elamitæ, & ex Meſopotamia, Iudæa, Cappadocia, Ponto, Aſia, Phrygia, Pamphylia, Ægypto & Cyrene: denique tam Iudæi, quam Romani, & proſelyti. Et non erat ſatis nominum, vt ſaltem tria millia Ioannis baptiſmum non excepiſſent. Sic veriſimilia nouit Bellarminus; ſic demonſtrationes ſunt Ieſuitarum.

XLII. Supereſt tertius locus; nunc quidem inſtar Helepolis; ex loco expreſſo, inquit Bellarminus, Act. 19. vbi Paulus iubet baptizari in nomine Domini duodecim viros qui confeſſi fuerant ſe non habere niſi baptiſmum Ioannis.

XLIII. Et fatemur ab hoc loco aut ortam, aut certe confirmatam ſententiam fuiſſe de diſcrimine baptiſmatum Ioannis & Chriſti. Sed profecto per nimiam incogitantiam: quaſi factum vt negligeretur partium textura alioquin ſatis euidens. Quo poſito, qui abſurditatem eius diſcriminis aliunde haberent cognitam; laborarunt in explicando: atque inde abierunt in varias ſententias; quas colligens Bellarminus, decem enumerauit. Primus Beza hanc negligentiam caſtigauit; diligenter numeratis expenſiſque voculis, vt attentiſſimum decuit interpretem. Hoc nos amplexi diligentiam, reliquas expoſitiones omiſſuri ſumus: & hanc vnam conſideraturi; quam vix Bellarminus attigit ſub nomine Nicolai Selnecceri: Lorinus in Acta leuiſſime ſuggillauit. At Stapletonus Antidotis in Acta virulentiſſime exagitauit, ſuo more; qui modeſtiam, leuitatemque Chriſtianam viſus eſt nec de nomine ſolo noſſe: adeo aſſueuit nihil loqui præter meros furores.

XLIV. Negamus ergo Paulum iubere baptizari in nomine Domini, quenquam baptizatum baptiſmo Ioannis: ſed potius docuiſſe eos qui baptiſmum Ioannis accepiſſent, rite fuiſſe baptizatos in Chriſtum: itaque non opus habuiſſe nouo baptiſmo. Et miramur hoc tandiu non fuiſſe obſeruatum, ab iis quibus erat præ oculis idem textus, qui nobis hodie. Græcos dico. Nam Latinos excuſet ſui interpretis peccatum, cum alias ſæpe ſæpius, tum hoc loco nimis ſupini. Quanquam apud Græcos, non obſeruaui tam communiter hanc aſſertam rebaptizationem: quam apud Latinos. Certe Bellarminus autores Græcos nominat tantum Chryſoſtomum, & Oecumenium: quanquam hos ipſos non certos.

XLV. Græce ſic eſt. *Dixit autem Paulus*, Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισε βάπτισμα μετανοίας τῷ λαῷ λέγων, εἰς τὸν ἐρχόμενον μετ' αὐτὸν ἵνα πιστεύσωσι, τουτέστιν εἰς τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν. ἀκούσαντες δὲ ἐβαπτίσθησαν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ. καὶ ἐπιθέντος αὐτοῖς τοῦ Παύλου τὰς χεῖρας ἦλθε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπ' αὐτούς. Latina editio vulgata ſic reddidit, *Ioannes baptizauit Baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens in eum qui venturus eſſet poſt ipſum vt crederent, hoc eſt in Ieſum. His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu. Et quum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos.* Vbi quia nulla ratio eſt habita particularum μὲν, δὲ, quibus vſus Lucas, Ἰωάννης μὲν. ἀκούσαντες δὲ; ambiguitas facta eſt: quaſi priora quidem Pauli eſſent verba alloquentis illos Epheſios: ſed hæc poſteriora: *His auditis*, Lucæ narrantis quid ſit conſequutum ea Pauli verba; nempe vt ii duodecim tum denique baptizati ſint in nomine Chriſti, cum perſuaſi ſunt à Paulo.

XLVI. At Beza ſic interpretatur, *Ioannes quidem baptizauit Baptiſmo reſipiſcentiæ, dicens populo, vt in eum qui veniebat poſt ipſum crederent, hoc eſt, in Chriſtum Ieſum. Qui vero illum audiuerunt baptizati ſunt in nomen Domini Ieſu. Et cum impoſuiſſet eis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus in eos.* Vnde patet, vtrumque illud membrum. Pauli eſſe; docentis eos qui audito Ioanne acciperent baptiſma, fuiſſe baptizatos in nomen Chriſti: Lucæ autem verba ſucceſſum narrantis, inde incipere, *Et cum impoſuiſſet eis manus.* Nempe ſignificantis Paulum nihil aliud egiſſe, quam cum docuiſſet, baptizatos fuiſſe in nomen Chriſti; eiſdem impoſuiſſe manus.

XLVII. Non poteſt ſatis laudari, viri doctiſſimi, viri optimi, viri piiſſimi, ſincera diligentia. Nam etſi hodie docti facilitatem vident tantam, vt pudeat temporum ſuperiorum: tamen fatendum eſt ei primo obſeruatam: vt ei cuius nunc fruimur laboribus, idem conueniat, quo ſuos obtrectatores Chriſtophorus Columbus fertur irriſiſſe propoſito problemate, vtrum poſſet ouum rectum conſtitui in plano, & ſeipſo nixum. Quod omnibus hærentibus demonſtrauit facillimo negotio, vt puderet non eſſe viſum, ſed ſuo tamen acumine. Itaque nunc ii ſoli rodunt Bezam; qui ſoli Bezæ ne vitiorum quidem poſſunt ſanctitatem attingere; tantum abeſt, vt virtutum perfectionem vel guſtare queant.

XLVIII. Huic interpretationi triplicis generis argumenta video opponi ab Sophiſticis: nimirum ab abſurdis aliunde petitis: à contextu: à proprietate Græci ſermonis. Ex primo ordine tria habet Stapletonus. Primum, inquit, neceſſario ſequitur, Ioannem baptizaſſe in nomine Ieſu. Atqui hoc loquendi modo ſolet Lucas vnicum Chriſti baptiſmum deſignare. Deinde, repugnat hæc forma ipſi fini & inſtituto Ioannis à Paulo hic expreſſo. Ait enim Paulus, Ioannem baptizaſſe dicentem, vt in Chriſtum venturum crederent: Ergo in ipſo nomine Chriſti non baptizauit. Præterea, perſpicuum eſt baptizare in nomine Chriſti, nihil aliud ſignificare, quam in virtute, poteſtate, & ex inſtituto Chriſti. Atqui redemptione humani generis necdum peracta, & baptizandi poteſtate Apoſtolis necdum data, in ea virtute, poteſtate, & inſtituto baptizare Ioannes non potuit.

XLIX. Reſpondeo, concedi primum illud, Ioannem baptizaſſe in Chriſti nomine: quod iam ante eſt abſolutum. Concedi item ſolere hoc loquendi more Chriſti baptiſmum deſignari. Quid enim hoc aduerſus eos, qui Ioannis baptiſmum non diſparant à Chriſti baptiſmo? An ſtertebat Stapletonus, ebrius multa in viros ſanctos bile?

L. In ſecundo par φλυαρία. Baptizabat Ioannes, dicens, vt crederent in Chriſtum venientem: Ergo non baptizauit in nomine Chriſti. Nobis ſane mens eſt in oppoſitum: quia docuit credere in Chriſtum venientem: Ergo baptizaſſe in nomine Chriſti: quomodo, quia baptizarunt Apoſtoli in Chriſtum, qui iam venerat: Ergo baptizabant in nomine Chriſti. Quanquam habemus etiam illud, *Qui miſit me baptizare*: & alia quæ prius notata.

LI. Non potuiſſe Ioannem baptizare in nomine Chriſti, quia nondum eſſet peracta redemptio; nondum data Apoſtolis baptizandi poteſtas; quis docuit ante Stapletonum? Atqui is Stapletonus cui primo credamus? Nam quid appellat peractam redemptionem? Mortemne ipſam, & reſurrectionem Chriſti? Non enim aliud video. Atqui ipſi Apoſtoli ante ſic peractam redemptionem iuſſi ſunt baptizare, & actu baptizarunt: quia Chriſtus neminem. Quorſum autem Apoſtolis nondum data poteſtas? An quia Ioannis poteſtatem, ab horum poteſtate oportuit pendere? Ridiculum. Itaque tam abſurdum, quam ſi diceret Apoſtolos nondum baptizaſſe in nomine Chriſti, quia Timotheo, & ſimilibus Euangeliſtis, nondum eſſet data poteſtas baptizandi. Scilicet inter acutos Stapletonus nomen obtinuit.

LII. A contextu hæc argumēta ſunt. Primum. Ergo illi Epheſii bis fuiſſent baptizati à Ioanne. Ait enim Paulus Ioannem baptizaſſe baptiſmo pœnitentiæ, ſimul docendo vt in Chriſtum venturum crederent, & diſcipulos eius qui hoc audierunt, ab illo baptizatos fuiſſe in nomine Chriſti. Sic quos iam baptizauerat baptiſmo pœnitentiæ, eos rurſum baptizaſſet in nomine Chriſti. Secundum; Si Ioannes baptizaſſet in nomine Chriſti: Ergo illi Epheſii interrogati, reſpondere non debebant ſe baptiſmo Ioannis fuiſſe baptizatos; ſed in nomine Chriſti. Tertium: nec Paulo neceſſe fuiſſet de baptiſmo Ioannis aliqua dicere ad eius extenuationem, dicendo eum in Chriſti venturi fidem baptizaſſe, & baptiſmo pœnitentiæ, non remiſſionis peccatorum, multo minus addere à Ioanne, baptizatos fuiſſe in nomine Domini baptizatos, ſi prius illorum reſponſum de baptiſmo Ioannis plenus ac perfectus Chriſti baptiſmus fuiſſet. Quartum: Si pendes Pauli ſermo, veluti narrans quid Ioannes olim facere ſoleret, qui fit vt loquendi modum ita Paulus mutet? vt cum prius dixiſſet, *Ioannes quidem baptizauit*: nunc de eodem loquens, non dicat: & ſic auditores ſuos Ioannes baptizauit in nomine Domini Ieſu: ſed mutato ſermone; illi vero qui ſermonem audierunt, baptizati ſunt in nomine Ieſu. Hæc enim loquendi

forma perſpicue inſinuat, de alio nunc Paulum loqui baptiſmo, quam prius. Quintum, ſi adhuc pendet Pauli ſermo, quæ hic eſſe poteſt cum ſequenti verſu connexio? Aut quid facit illa coniunctio *&*, præcedentem ſententiam connectens? *Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus.* An non illa coniunctio manifeſte docet, hæc Lucæ verba cum proxime præcedentibus eiuſdem verbis connecti? Sextum Bellarmini eſt. Vel duodecim illi viri ſunt baptizati iuſſu Pauli baptiſmo Chriſti, vel non. Si prius; id ipſum eſt quod contendunt Papiſtæ. Sin poſterius, quorſum pertinet illa narratio Pauli? Certe ſuperuacanea videtur. Non enim alia cauſa monuit eos qui baptizati erant ſolo baptiſmo Ioannis, Ioannem prædicaſſe Chriſtum, niſi vt intelligerent eſſe neceſſarium præterea Chriſti baptiſmum.

LIII. In multiloquio vanitas. Et ſane videntur Sophiſtæ tantum fatigare velle aduerſarii patientiam: atque ita non quam bene, ſed quam multa dicant ſatagere: vnde pleraque ita ſunt, vt rationis ne micam quidem habeant. Enimvero quid illud eſt, quod primo poſitum loco; bis fuiſſe Epheſios illos baptizatos à Ioanne? An ſunt qui etiam hodie Tragelaphos vident ludentes in aere; chimærasve paſcentes in vacuo? At nos, quibus oculorum acies ſobria, ſemel tantum obſeruamus. Non enim duo ſunt, quod baptizauit baptiſmo pœnitentiæ, iubens credere in Chriſtum: Et quod diſcipuli eius qui hoc audierunt baptizati fuerint in nomine Chriſti: Sed ſunt vnum idemque: nempe populum illum baptizatum fuiſſe in nomine Chriſti, eo ipſo baptiſmo pœnitentiæ, cum iuberentur credere in Chriſtum venturum. Hoc qui geminas vidit Thebas, ſolus diſtraxerit in duos baptiſmos. Sed quid ad nos?

LIV. Quare non debuerunt reſpondere ſe baptizatos baptiſmo Ioannis? Aut quid hoc habet vitii? Si quidem verum Ioannem baptizaſſe in nomine Chriſti. Enimvero neq; illi erant plene inſtructi; vt ſcirent baptiſmum Ioannis conſecraſſe homines Chriſto: & ſi maxime fuiſſent; nihil erat abſurdi, fateri, & ſe baptizatos tantum; & cuius opera. Sed Sophiſtæ non poſſunt diſcedere à ſuis ſomnis: quæ ne ipſi quidem intelligunt; nedum aliis exponant.

LV. Ad extenuationem baptiſmi Ioannis quicquam dixiſſe Paulum? Dixiſſe non fuiſſe baptiſmum remiſſionis peccatorum? Paulum quicquam horum dixiſſe. Ignoſcite, Sophiſtæ, ſanioribus viris perſuaſis felicius fuiſſe Paulum regenitum, quam vt Ioannis luminibus vellet obſtructum. His videtur idem eſſe baptiſmus pœnitentiæ, & remiſſionis peccatorum. Itaque putant contra propoſitum fuiſſe Paulo docere eundem fuiſſe baptiſmum Chriſti & Ioannis; hoc ipſo argumento, quod eſſet pœnitentiæ baptiſmus, & iuberet credere in Chriſtum. Reliqua ſomnia ſunt. Non debuit, inquit, addere baptizatos fuiſſe in nomine Chriſti; ſi baptiſmus ille fuiſſet plenus Chriſti. At nos contra, debuiſſe putamus addere idipſum, eo ipſo quod ille plenus eſſet baptiſmus Chriſti: & contra fortaſſe non debuiſſe, ſi non fuiſſet: tanti intereſt, non tantum quid videas, ſed etiam quibus oculis.

LVI. Mutauit loquendi modum. Vix bene capio. An quia primo actiue, *baptizauit*, poſtea paſſiue *baptizati ſunt*? Et effugiant cachinnum qui ſic ineptiant! Atqui hoc quicquid eſt mutationis rem nullam attingit. Nam qui baptizati ſunt à Ioanne, iidem ſunt numero quos baptizauit Ioannes. Et impudentiæ plenum eſt, hac paſſiua forma indicari de alio baptiſmo ſermonem eſſe. Necdum illa ſic præſcripſit Grammatica; niſi ſi Stapletonus ſuam habuit ex Vtopia.

LVII. Coniunctio *&*, nobis quidem nullo modo eſt moleſta. Connectit præcedentibus. Sane? ſed non proximis tantum: imo toti narrationi: cuius partes duæ: vna, quid Paulus docuerit: altera quid poſtea fecerit. Illam per proſopopeiam Lucas expoſuit, quaſi relatis Pauli verbis: hanc vero ſuis. Simile exemplum. Geneſ. 20. *Ad Saram autem dixit. Ecce dedi mille argenteos fratri tuo. Ecce is eſt tibi velamen oculorum, apud omnes qui ſunt tecum; & apud omnes: & fuit caſtigata.* Nam hic poſtremum ונכחת verbum eſt Moſis: præcedentia autem Abimelechi. Et copula & connectit toti proſopopœiæ. Itaque falſum connectere poſtrema præcedentibus tanquam vtraque eſſent Lucæ: nec ſatis maieſtatis in Sophiſta, vt affirmando ſanciat.

LVIII Sed quorſum pertinet illa narratio? At tu ſic quæris Bellarmine, vt non exſpectes reſponſum: ſed ipſe tibi cauis. Superuacanea, inquis, videtur. Nempe, inquam, quia tibi perſuaſum ſtupidiſſimum hoc commentum, propoſitum eſſe Paulo admonere ſuos illos, neceſſarium eſſe aliud baptiſma. Quod nos contra putamus. Nimirum voluiſſe Paulum perſuadere non eſſe illis opus alio baptiſmo; quia ſcilicet baptizati eſſent baptiſmo pœnitentiæ, vt crederent in Chriſtum. Quod pene dixerim Chryſoſtomo veniſſe in mentem. Nam etſi ἀτελὲς Ioannis baptiſma ex iſtis colligat: tamen notauit ea dicta ab Apoſtolo, ἵνα διδάξῃ καὶ πείσῃ αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Ἰησοῦ βαπτισθῆναι, quæ perperam reddidit Roterodamus, *vt doceat ac perſuadeat illis in nomine Ieſu baptizari.* Cum tamen βαπτισθῆναι aliter ſonet: nempe, *Vt perſuadeat eos in nomine Chriſti fuiſſe baptizatos.* Quanquam nonnihil turbet, quod ſtatim ὃ καὶ ποιοῦσι, *quod & faciunt*: niſi poſſit commode, etſi paulo durius exponi, id ipſum ſibi illos perſuaſiſſe. Viderint docti. Certe durius eſt βαπτισθῆναι interpretari per futurum.

LIX. Supereſt proprietas Græci ſermonis; in vſu particularum μὲν & δὲ. Stapletonus notiſſimum aſſerit priorem ſæpe ſolius elegantiæ cauſa inſeri, & expletiuam eſſe, non aduerſatiuam: Poſteriorem quoque non eſſe aduerſatiuam, ſed frequenter tranſitionis notam. Lucæ 1. *Quoniam quidem multi conati ſunt.* Actor. 1. *Primum quidem ſermonem feci de omnibus, ô Theophile.* Et paulo poſt, *Et hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis.* Tertio, *Quem oportet quidem cœlum capere.* In his aliisque multis μὲν eſt ſolitarium. Aſt Actor. 2. ἀκούσαντες δὲ κατενύγησαν: Latine omiſſa particula δὲ, *His auditis compuncti ſunt.* Quarto, Λαλούντων δ᾽ αὐτῶν πρὸς τὸν λαὸν, *Cum autem loquerentur ad populum.* Et paulo poſt, ἐγένετο δὲ ἐπὶ τὴν αὔριον, *Factum eſt autem in craſtinum.*

LX Egregium ſane virum, & cui minerual debeat vniuerſa Papiſtarum ſchola. Magnum enim docuit arcanum & ante hac, ſi forte, inauditum; particulas μὲν & δὲ crebro ſolitarias vſurpari. Et quidem miror Bellarmini ingratitudinem, qui lepidum hoc quicquid eſt arcani, ſilentio præterit. Fortaſſe condonandum, qui hac in re noluit cum Beza ſibi eſſe negotium: ſed illi ſane ſua viderint. Nos fatemur, & quidem ante Stapletonum, moniti ab Henrico Stephano, ſi monitione opus foret præter vſum, haud infrequenter vtramque particulam ſeorſim venire in vſum. Sed viciſſim ſiue Stapletonum vellemus, ſiue pro eo quencunque alium audire negantem venire vnquam ſimul; vt miſerum exemplis obrueremus. Et ex ipſo quidem Luca. Euangelii 3. ἐγὼ μὲν ὕδατι βαπτίζω ὑμᾶς· ἔρχεται δὲ ὁ ἰσχυρότερός μου, *Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me.* Decimo. ὁ μὲν θερισμὸς πολὺς· οἱ δὲ ἐργάται ὀλίγοι, *Meſſis quidem multa, operarii autem pauci.* Et 11. αὐτοὶ μὲν ἀπέκτειναν αὐτοὺς, ὑμεῖς δὲ οἰκοδομεῖτε αὐτῶν τὰ μνημεῖα, *Ipſi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum ſepulcra.* Actor. 1. Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισεν ὕδατι, ὑμεῖς δὲ βαπτισθήσεσθε ἐν πνεύματι ἁγίῳ, *Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto.* Nono, ἀκούοντες μὲν τῆς φωνῆς, μηδένα δὲ θεωροῦντες, *audientes quidem vocem, neminem autem videntes.* 22. ἐγὼ μὲν εἰμὶ ἀνὴρ Ἰουδαῖος γεγεννημένος ἐν Ταρσῷ τῆς Κιλικίας· ἀνατεθραμμένος δὲ ἐν τῇ πόλει ταύτῃ. *Ego quidem ſum Iudæus natus Tarſi Ciliciæ, nutritus vero in hac ipſa vrbe.* Et 28. Καὶ οἱ μὲν ἐπείθοντο τοῖς λεγομένοις, οἱ δὲ ἠπίστουν, *Et alii quidem aſſentiebantur iis quæ dicebantur; quidam vero non credebant.* Satin iſta ſunt? An nondum par pari retuli?

LXI. Quid obtinet Sophiſta? Videlicet δὲ tranſitiua eſt, nouæque tranſitionis ad aliam narrationem nota. Ita eſto, inquam: ſed cum ante eam non legitur μὲν; cuiuſmodi exempla ab eo ſunt collecta. Sed cum μὲν præcedit tum vero nemo ſanus neget eſſe aduerſatiuam, & eiuſdem narrationis partem alteram connectere; cuiuſmodi exempla fuere noſtra. At iſto, quem nunc verſamus loco, vtraque particula eſt, non alterutra. Itaque Sophiſtæ periit oleum, atque opera. Certe Marci 14. quicunque legit, *Dixit eis* ὁ μὲν υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *Filius quidem hominis abit ſicut ſcriptum eſt de eo:* οὐαὶ δὲ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ: *Væ autem homini illi per quem filius ille hominis traditur*: nunquam eſt conceſſurus priore loco Chriſtum loqui, poſteriore autem Marcum; quantacunque ſit Sophiſtarum grammaticatio.

## CAP. XIV.

### *De legitimo Baptiſmi Miniſtro.*

I. DE legitimo Miniſtro Baptiſmi diſputationes legi Hoſii Confeſſionis cap. 36. Polygrani in aſſertionibus. Arborei Theoſophiæ libri 2. cap. 12. Dominici Soto in quartum diſtinct. 4. Catechiſmi Tridentini. Lorichii de Baptiſmo. Gregorii de Valentia Commentariorum tom. 4. diſput. 4. quæſt. 2. Vaſquis in 3. Thomæ diſput. 147. Suaris de Sacramentis, quæſt. 67. At Catholicorum, Caluini Inſtitut. 4. cap. 15. §. 20. & proximis duobus. Bezæ contra Heshuſium in abſterſione calumniæ 7. Hellopæi capite 7. artic. 2. de tota re Sacramentaria. Riueti quæſt. 7. tractat. 3. tertii Catholici Orthodoxi. Scharpii in Curſu Theologico, de Baptiſmo controu. 1. aduerſus Papiſtas.

II. Quæritur quis ſit legitimus Baptiſmi Miniſter; hoc eſt ſitne vt prædicandi, & Euchariſtiam adminiſtrandi; ita & baptizandi non promiſcua vſurpatio, ſed peculiaris autoritas quædam, quam ſibi alii non debeant vſurpare. Concilium autem Tridentinum hanc partem dignam non cenſuit, quam ſua definiret autoritate, ſuiſve fulminibus ſanciret: etſi Catechiſmus ad Parochos, *A quibus*, inquit, *miniſtris hoc Sacramentum conficiatur, non vtiliter modo, ſed neceſſario tradendum videtur: tum vt ii, quibus præcipue hoc munus commiſſum eſt, illud ſane, & religioſe curare ſtudeant: tum vt ne quis, tanquam fines ſuos egreſſus in alienam poſſeſſionem intempeſtiue ingrediatur. vel ſuperbe irrumpat, cum in omnibus ordinem ſeruandum eſſe Apoſtolus admoneat.*

III. Sed vulgo diſtinguunt Baptiſmi adminiſtrationem ſolennem & neceſſariam. Illam quæ fit ordinarie, & adhibitis omnibus ceremonis. Iſtam quæ non niſi extra ordinem; & in periculo præſentiſſimæ mortis. Solennem Baptiſmi celebrationem nemini concedunt, præter Epiſcopum, & Sacerdotem. Catechiſmus. *Quibus datum eſt, vt iure ſuo, non extraordinaria aliqua poteſtate, hoc munus exerceant, quanuis Epiſcopi, ne grauiorem illam docendi populi curam deſerere cogerentur, Baptiſmi miniſterium Sacerdotibus relinquere ſoliti ſint.* Pulcre & eleganter: quaſi diligentiores, frequentioreſque ſint in docendo Epiſcopi, quam in baptizando. Et non potius ipſum illud prædicandi munus reſignarint, iis qui ſunt infra presbyteros, id eſt Monachis, omne genus cucullatis: & nunc maxime Ieſuitis, quorum tamen nemo baptizare dignatur. Sed illi viderint ſane ſuos mores qui nos neque expectant cenſores, neque vero etiam monitores audiunt. Soto, *Sicut ad Sacerdotem pertinet conſecrare Euchariſtiam, ad quod principaliter Sacerdotium refertur, ita & ad proprium officium Sacerdotis pertinet baptizare.* Quæ verba deſcripta ſunt ex Thoma part. 3 quæſt. 67. artic. 2. Suares, *Eſt certum Sacerdotem ex vi ſuæ conſecrationis eſſe poſſe ordinarium Miniſtrum huius Sacramenti.*

IV. Conſentiuntne omnes? Dubitem. Certe Bellarminus conſideratius, *Ius baptizandi, ex officio ordinario conuenire ſolis Sacerdotibus, id eſt Epiſcopis & Presbyteris: ſic tamen vt Presbyteris conueniat cum ſubordinatione & dependentia ab Epiſcopis.* Caligatne mihi acies: an recte video non bene conuenire, quod quis ſuo iure, & ex vi ſuæ ordinationis, cum eo quod per dependentiam? Sed Papiſtis forte nouæ ſunt iuris formulæ: quas ipſi intelligant, vt Veſpertilionibus tenebræ ſunt pro meridie. Nam quod Presbyteris non liceat abſque licentia Epiſcoporum baptizare, id ad iuriſdictionem pertinet, vt notat Suares: quomodo neque Epiſcopus poteſt in aliena diœceſi prædicare abſque impetrata venia: & tamen Epiſcopi autoritatem ad prædicandum nemo dixit pendere ab alio Epiſcopo. Imo ne longius abeamus; etſi Sacerdos proprie ordinetur ad conficiendam Euchariſtiam, tamen non poteſt in vlla diœceſi abſque Epiſcopi permiſſu. Porro Suares, *Poteſtas baptizandi*, inquit, *eſt abſoluta facultas miniſterialis, ad conficiendum tale Sacramentum, quæ non ſolet limitari ſecundum ſubſtantiam vel facultatem ſuam ad caſum neceſſitatis, ſed ſimpliciter confertur.*

V. Viderint, quorum intereſt. Nam nos quidem cenſemus baptizandi munus impoſitum iiſdem quibus prædicandi. Itaque qui Epiſcopos & Presbyteros prædicantes non credimus diſtinguendos; iure eodem vtroſque tenemus baptizare; abſque vlla ſiue dependentia: ſiue ſubiectione,

ſiue quid aliud dixeris. Non ſolemus enim in rebus tanti momenti delectari diſtinctionibus nec hauſtis è Scriptura, nec excogitatis niſi ſero & Chriſtianitate iam multa humani cerebri audacia eunte in peius.

VI. Adminiſtrationem extraordinariam appellant in caſu mortis promptiſſimæ, præſentiſſimæque; nec dilationis, vel morulam promittente. Hac poſita nulli non hominum generi permittunt baptizare. Bellarminus digeſſit in has propoſitiones, *Laicis baptizatis licere in caſu neceſſitatis baptizare. Etiam non baptizatis in caſu neceſſitatis licere Baptiſmum dare, ſi ſciant ritum. Non modo viros, ſed etiam fœminas in extrema neceſſitate poſſe baptizare.* Suares & compendioſius & magnificentius, *Quemlibet hominem qui loqui poſſit, & lauare, poſſe eſſe ſufficientem miniſtrum Baptiſmi, ſiue ſit vir, ſiue fœmina, fidelis vel infidelis, baptizatus vel non baptizatus, dummodo ſciat lauare, & verba proferre cum debita intentione. Hæc aſſertio eſt omnino certa.*

VII. Hæc cum ſtatuunt tum vero alios aliis præferunt; nempe vt negent licere cuiquam laico baptizare præſente clerico: aut vlli fœminæ, præſente viro: aut vlli infideli præſente Chriſtiano. Sed & hoc addunt, non eſſe tamen irritum Baptiſmum collatum neglectum his canonibus; Suares, *Certum eſt in præſenti materia hanc poteſtatem talem eſſe, vt ſi quis illa vtatur extra neceſſitatis articulum, etiam ſi male faciat, nihilominus factum teneat.*

VIII. Ita ſe habet Papiſtarum diſciplina. Nos contra docemus Baptiſmi conferendi penes eos duntaxat ius eſſe qui publicum munus gerunt in Eccleſia. Itaque collati à quocunque cuius præter priuatam nulla perſona ſit, nullam vim eſſe; id eſt, Sacramentum nullum eſſe, ſed temerariam ludificationem, nullo modo tolerandam in Eccleſia.

IX. Primum Papiſtis argumentum; ab exemplo Sephoræ circuncidentis Moſis filium, Exodi 4. At Circunciſio, inquit Bellarminus, erat figura Baptiſmi, igitur licebit etiam mulieribus baptizare in caſu neceſſitatis.

X. Reſpondeo negari conſequentiam. Ratio negandi gemina, prior à re: poſterior à perſona. Non enim bene comparantur Baptiſmus & Circunciſio. Nam cum illius miniſtros certos legamus inſtitutos, eoſdem, qui docendi ius habent: tum vero huius nullos: ſiue in inſtitutione, ſiue vſquam alibi. Certe inſtitutio habet Geneſeos 17. *Circuncidetis carnem præputii veſtri:* abſque alia vlla limitatione Vt prorſus nihil fuerit obſtaculo quominus & Sephora ſuum natum: & ſuos illæ mulieres 2. Maccabæorum 6. circuncidere potuerint. Sic non legitur quicquam quo prohibeatur immolatio agni Paſchalis per ſingulas familias fieri ſolita, etiam nullis adhibitis Sacerdotibus. Quare quemadmodum non ſequitur, ſi agnum hunc quilibet laicus conficeret, Ergo Euchariſtiam poſſe itidem à quocunque conſecrari: ſimilis ratio eſt Baptiſmi.

XI. Altera ratio, ex facto particulari, & extraordinario, non poſſe neceſſariam deduci conſequentiam. Eſſe autem hunc actum Sephoræ particularem, probari; eo quod alias nullum vnquam occurrat exemplum Circunciſionis à muliere patratæ. Nam quæ in Maccabæis mulieres dicuntur circunciſiſſe ſuos liberos, nihil habet difficultatis: cur non enim circunciſiſſe dicantur, quæ procurarent circuncidi: Et ita Maccabæorum prioris 1. *Mulieres quæ circunciderant filios ſuos trucidabantur ſecundum iuſſum: & ſuſpendebant pueros à ceruicibus per vniuerſas domos eorum: & eos qui circunciderant illos, trucidabant:* vbi vides diſtinctas mulieres quæ circunciderant filios ſuos, ab iis qui circunciderant eos: nempe quia circuncidebant illæ procurando, iſti operando.

XII. Extraordinarium fuiſſe docet, non tantum idipſum, quod iam obſeruatum; ſed etiam tota hiſtoria; quæ Sephoram repræſentat attonitam præſentiſſimo viri periculo: imo etiam indignabundam, atque adeo murmurantem: vnde Caluino occaſio reprehendendi impotentem iræ mulierem, *Inſcite,* inquit, *ad imitationem trahitur, quod egit ſtulta mulier:* tum nihil minus fuiſſe ei propoſitum, quam vt Deo miniſterium præſtaret, fremuiſſe; obmurmuraſſe, præputium non ſine indignatione in terram proieciſſe, marito conuitiatam; tantum non Deo ſuccenſuiſſe; quod filii ſanguinem fundere cogeretur: denique præſente Moſe circunciſiſſe.

XIII. Aduerſarii reliquis omiſſis hanc ſolam poſtremam partem delegerunt in quam bilem ſuam exonerarent: valde indignati Sephoram reprehendi: qua de re quidem iam olim actum à nobis eſt cap. 4. libr. 28. tomi 2. cum accuſarent nos Papiſtæ ſanctorum in cœlis regnantium violatæ dignitatis: ſed nunc iterum tamen reſumendus labor argumenti gratia. Exequiam igitur Bellarmini diſputationem: ſed meo ordine; commodiore, ni fallor, ad præſens inſtitutum. Nobis negata conſequentia eſt. Bellarminus confirmat: quia Sephoræ factum Deo placuerit: proindeque fuerit rectum & bonum. Placuiſſe Deo probat, quandoquidem eo fuerit continuo placatus: hoc autem colligit: quia Moſen Angelus dimiſerit. Præterea purgat peccata quæ à Caluino obiiciebantur.

XIV. At nos inſtamus non eſſe bonam conſequentiam: & non recte confirmari: etiamſi concederemus nihil fuiſſe peccatum. Non enim obſtat, quominus fuerit actus & ſingularis, & extraordinarius: quæ duo ſunt priora noſtræ ſolutionis capita: quæ nimis ſupine querimur eſſe neglecta.

XV. Deinde nullum fuiſſe peccatum, non probatur. Nam placere Deo actus dicuntur proprie, qui conformes ſunt legi. Hic autem non fuit conformis legi propter rationes Caluini. Nec ſequitur, ſi Deus fuerit placatus, ideo hunc actum ei placuiſſe. Non enim placatur ex actionis merito, ſed ex ſua miſericordia: itaque non raro tolerando; id eſt condonando non recte facta. Itaque Caluinus dixit, *Quod placatus fuit Dei Angelus poſtquam illa arrepto lapide filium circuncidit, inde perperam colligitur, factum illius probatum fuiſſe Deo: alioquin dicendum eſſet placuiſſe Deo, quem gentes ab Aſſyria traductæ exercerant cultum.*

XVI. Bellarminus regerit gentes illas à leonibus liberatas, quia Deum verum vero ritu colerent, edoctæ à Sacerdote Iſraelita: non autem quod idola ſimul colerent, vel ritu aliquo a ſe excogitato vterentur. Licet enim Deo non placerent, cum ſimul idola colerent: tamen indicare voluiſſe; quantum intereſſet inter cultum à ſe inſtitutum, & impias gentium ſuperſtitiones: & ideo leones immiſiſſe, cum idola tantum colerentur: repreſſiſſe autem, cum cœptus adorari.

XVII. Imo inſtantiam Caluini non frangit Sophiſta, ſed ludificatur.



Quæritur enim vtrum Deo placuerit Sephoræ actus; quia Deus fuerit placatus, Negauit Caluinus hoc gentium exemplo, cuius hiſtoria deſcribitur 17. poſterior. Regum. Itaque videndum vtrum Deo placuerit hoc exemplum: quod non ſperauit Caluinus quenquam aſſerturum; contra diſerta Scripturæ verba: quæ etſi obſeruet à Sacerdote fuiſſe inſtitutas, & timuiſſe Deum, vna cum idolis ſuis; tamen, *Vſque in diem hanc inquit, faciunt iuxta ritus priſtinos: non timent Iehouam: neque faciunt iuxta decreta & morem ipſius, neque iuxta legem, & præceptum, quod præcepit Iehoua filiis Iacob.* Itaque impie dixerit, quiſquis placuiſſe Deo factum earum gentium dixerit.

XVIII. Sed voluit indicare quantum intereſſet inter cultum à ſe inſtitutum; & impias ſuperſtitiones. Imo, inquam, contra teſtatur Scriptura, hunc cultum non fuiſſe à Deo inſtitutum. Pepigerat enim Iehoua cum eis pactum, præceperatque eis, dicendo, *Non timebitis Deos alienos, nec adorabitis eos, nec ſeruietis eis, neque immolabitis eis.* Senſus eſt non in eo tantum conſiſtere Dei cultum, vt ipſe colatur: ſed vt ſolus colatur, reiectis omne genus idolis: itaque nullum eſſe Dei cultum; vbi copulantur ei vlla idola.

XIX. Deinde fac ita eſſe: vt diſpeſcatur cultus Dei ab addito cultu idolorum: manet tamen integra vis inſtantiæ: ſic enim diſtinguenda erit Circunciſio; ab actione Sephoræ: & Deus voluerit declarare, quantum deferat Circunciſioni: quanquam non probauerit audaciam Sephoræ ſibi eius Sacramenti miniſterium aſſumentis: de quo nunc nobis diſputatio eſt.

XX. Videamus nunc quomodo Sephoræ purgentur peccata. Negat peccaſſe; quod præſente viro circunciderit. Rationem quæro. Expreſſit; quia fecerit coacta; vel à Moſe, vel à Deo. Hoc probat primo ex hiſtoria: quia Moſes ipſe non poſſet poſitus in anguſtiis maximis, & pene exanimatus. Deinde teſte Caluino: qui, *Deo,* inquit *& marito obſtrepit, quod filii ſanguinem fundere cogitur.* Quod ſi coacta eſt à Deo, & à marito, non igitur temere id ſibi ſumpſit.

XXI Reſpondeo; negari conſequentiam: eſſe enim vtrunque verum; & coactam feciſſe; & temere ſibi ſumpſiſſe. Nimirum quia coactio illa non fuit ab vllo præcepto; quæ ſola ratio eſt legitimæ obedientiæ: ſed ab imminentis periculi metu: quam coactionem ſolent homines nominare, tanquam ſonticam ſuorum peccatorum excuſationem. Sic enim Bellarminus c. 9. libri 4. de Pontifice, *Liberium coactum vi tormentorum feciſſe, quod fecit.* Atqui hoc genus coactionis, etſi interdum perſonam liberet à pœna; tamen factum ipſum nunquam excuſat à peccato Imo ne ſemper quidem à pœna. Nam 2. Samuelis 6. Vzas metuens ne arca caderet, eoque metu coactus manum extendere, vt eam ſuſtentaret, morte fuit mulctatus, à Deo ob eam rem irato. Nimirum hic metus, & ab eo metu hæc coactio, non excuſauit Vzam quominus temere ſibi arcæ contingendæ partes aſſumeret. Ei metui, ei coactioni ſimilis metus, coactioque fuit Sephoræ; non alia re motæ, quam præſenti periculo, nec ſuo quidem, ſed alieno, nempe mariti.

XXII. Pergit Bellarminus: Quod Caluinus dicit, Sephoram circunciſiſſe filium ſine propoſito obſequendi Deo: & proieciſſe præputium in terram, & obmurmuraſſe contra Deum, & contra maritum, ſunt mera mendacia, ſine vllo fundamento, ex mera libidine detrahendi profecta. Scriptura enim nihil tale dicit. Vnum eſt verbulum; quod forte Caluinum decepit adiuncta Lyrani expoſitione. Quod enim Scriptura dicit, *Et dimiſit eum,* Lyranus ita exponit; quaſi Sephora dimiſerit Moſen, & receſſerit ab eo indignata ob filii circunciſionem. Sed fallitur Lyranus; & quicunque ita exponit: nam ea verba non poſſunt referri ad Sephoram, ſed ad Angelum: vnde Græca editio, καὶ ἀπῆλθεν ἀπ᾽ αὐτοῦ ὁ ἄγγελος.

XXIII. Non amo, inquiebat ille, nimium diligentes. Aſt ego ſane non laudo hanc Bellarmini affectatam curam inquirendi occaſiones Caluini lancinandi. Nam quid ad Caluinum Lyranus? Atqui poterat Bellarminus; niſi ſibi noluiſſet anſam præcidere calumniandi: poterat, inquam, diſcere ex Commentariis in quartum Exodi, Caluini mentem, referentis hæc ipſa verba non ad Sephoram; ſed ad Deum, *Officium temere ſuſceptum Deo placuiſſe, ex euentu patet: quia continuo poſt additur Deum à Moſe diſceſſiſſe. Ego enim ſic interpretor, ceſſaſſe vel remotum fuiſſe Dei flagellum.*

XXIV. Videamus nunc Caluini mendacia. Nihil tale dicit Scriptura. Quomodo, inquam? An totidem literis? Habet nos confitentes An reapſe? Habet negantes. Et meminiſſe iubemus Sophiſtam, a ſe dictum, Sephoram fuiſſe coactam: quod certe non legit totidem literis. Quod ſi permiſit ſibi ex hiſtoria ipſa concludere, cur inuideat Caluino, ſimiliter elicienti ea, quæ tam confidenter durus cenſor appellat mendacia? Enimvero proieciſſe præputium in terram cur negat? Hebraicè ותכרת את־ערלת בנה ותגע לרגליו, *Et abſcidit præputium filii ſui: & tetigit pedes eius.* Amphibolia eſt: nam verbum *tetigit,* varie referri poteſt. Nam vel vt Sephora ipſa tetigerit quod tamen nulla fulcitur circunſtantia, nec conîici poteſt in quem finem. Rabbi Iarchi videtur retuliſſe ad filium: quem mater proiecerit ad pedes patris: השליכתו לפני רגלי משה *proiecit eum ante pedes Moſis.* Sunt qui diuinarunt ſanguinem fluentem ex Circunciſione: vt notauit Carthuſianus: ſed violenter: cum nuſquam nominetur. Longe illi veriſimilius, qui præputium ipſum. Sa, *Proiecit præputium ad pedes Moſis.* Pererius, *Mihi rectius & aptius, atque conſequentius narrationi Scripturæ ſentire atque interpretari videntur, qui pronomen illud eius referunt ad Moſen, ad cuius pedes abiecit Sephora præputium amputatum filio.* Nodinus, *Tunc Sephora præciſum filii ſui præputium proiecit ad pedes Moſis* In has partes Caluinus iit. An propterea mentitus; quia obſiſtat vnus Bellarminus?

XXV. Murmuraſſe contra maritum, ex eo præputii iactu Caluinus colligit, *Etſi enim,* inquit, *aliqua ex parte, vt cogebat neceſſitas, ſe Deo ſubiecit Sephora, tamen impetu iracundiæ percita, contra maritum exiluit. Odioſe enim exprobrat ſponſum eſſe ſanguinarium.* Quia videlicet proiiciendo dixiſſet, *Sponſus ſanguinum.* Quod etſi varii varie accipiant; tamen eam expoſitionem nemo damnauit. Pererius, *Vel tanquam irata & fremens vt quidam exponunt, quod propter ipſum coacta eſſet ſauciare filium, & multum eius ſanguinem profundere. Vel potius quaſi lætabunda, & gratulabunda; bono eſſe animo iubens maritum.* Vbi vides in geminata interpretatione illam Caluini non improbari. Sa, *Quaſi dicat, cauſa mihi es fundendi ſanguinis.* Nodinus, *Receſſit Angelus: tuncque Sephora præciſum filii ſui præputium, proiecit ad Moſis pedes, iratáque dixit ei, Sponſus ſanguinum tu mihi es, id eſt, tui gratia, & tuæ reli-*

*gionis ritu coacta ſum ſanguinem filii mei effundere.* Comeſtor, *Vnde irata ait viro, eſne mihi vir ſanguinum? Id eſt, an ex coniugio tuo tantum ſcelus teneor agere, vt fundam ſanguinem filii mei?* Audin iratam? Viden exprobrantem ſanguinem filii ſui?

XXVI. Et vero cenſent plerique eius culpa factum, vt filium vel vtrunque vel alterum Moſes non circuncidiſſet. Carthuſianus, *Putatur quod fœmina illa gentilis voluit vnum filiorum ſuorum tenere in ritu gentilitatis ſuæ: alterum vero iuxta legem diuinam Moſes circuncidit. Fuit quoque culpabilis, quod cum eſſet caput mulieris, permiſit eam tenere in ſuo ritu vnum ex pueris illis.* Rupertus cap. 21. in Exodum *Volebat,* inquit, *occidere eum. Quare? Quia filios ſuos non circunciderat. Verum hoc obſistente vxore alienigena facere nequiuerat in terra alienigena, in terra non ſua. Igitur vidente Sephora volebat Dominus occidere eum vt quo ratione noluerat adduci, præſentia periculi cognoſceret ſalutare eſſe ſemini Abrahæ, omne maſculinum eius circuncidi.* Hugo Cardinalis, *Forte alterum iam circunciderat, alterum dimiſerat circunciſum Sephora, quæ gentilis erat.*

XXVII. Quid ergo peccatum Caluino: Si iratam obſeruans, & exprobrantem, dixit murmuraſſe contra maritum? Vnde autem reliqua fluunt, *Vnde perſpicitur,* inquit ille, *quam longe à pio obediendi affectu abfuerit: quando non alia de cauſa impotenter fertur contra maritum, & iracundiam ſuam euomit: niſi quia Deus filii Circunciſionem ab ea extorſerat.* Manifeſta res. Non poterat enim in maritum eſſe irata, vt non eſſet contumelioſa in Deum, cuius vim ſentiebat præſentem. Non poterat contra Deum intemperans eſſe, & obedientiæ laudem mereri. Sed profecto Papiſtæ ſunt iniquiores debiti Deo obſequii æſtimatores. Caluinus religioſior nemini didicerat aſſentari: nec in ſua libertate ſperabat ſibi metuendas humanæ proteruiæ calumnias? itaque confidentiſſime iudicauit Sephoram vſurpaſſe miniſterium non ſuum: vnde Bellarminus non potuit quenquam ſanum deducere.

XXVIII. Tranſeo ad ſecundum Papiſtarum argumentum apud eundem. Ex Matthæi vltimo, *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos.* ἐξ ἀπροσδοκήτου. Nam quis ſperaſſet inde priorem ſcuum concludi miniſterium Baptiſmi? Audiamus egregium acumen. Licet miniſterium verbi ſit proprium Apoſtolorum & Epiſcoporum, tamen omnibus licet: imo omnes tenentur in articulo neceſſitatis docere & inſtituere ignorantes: vt Act. 18. Aquila & Priſcilla. Ergo eodem modo, licet munus baptizandi ſit proprium Sacerdotum, tamen in neceſſitate licebit etiam laicis & fœminis baptizare: imo etiam maiori ratione; cum magis ſit proprium Apoſtolorum prædicare quam baptizare. Prioris ad Corinthios 1. *Non miſit me Dominus baptizare, ſed prædicare.*

XXIX. Admodum ſubtiliter: ſi non ipſa Papiſtarum doctrina conſequentiam refutaret: quæ Sacerdotibus non negat autoritatem docendi; & tribuit poteſtatem conficiendi corpus Chriſti; & vngendi ægrotos. Item Epiſcopis confirmandi, & ordinandi Et tamen ſolis. Quid reſponſuri quæſo, ſi obiiciam; eorundem eſſe hominem Sacramentorum adminiſtrationem; & prædicationem: itaque ſicut prædicationem, ſic eandem adminiſtrationem debere eſſe promiſcuam; maribus, fœminis, Chriſtianis, Ethnicis? Admittantne, an negent ſequi?

XXX. Et ſane, primum conſequentia eſt præter logicæ leges: quia in affirmatis enumerationibus non eſt reciproca neceſſitas: non enim vt qui manducat viuit; ita quicquid viuit, manducat. Apud Papiſtas etſi omnis Epiſcopus conſecret: tamen non quicunque conſecrat, eſt Epiſcopus Cur non ſimiliter, non quicunque doceat, baptizet, tamen quicunque baptizet doceat?

XXXI. Neque vero in re quicquam eſt difficile. Nam docere ſignificat interdum nudam & promiſcuam rei explanationem, quam diſcat aliquis: interdum autoritatem habet additam doctoris ac magiſtri in diſcipulos. Priori modo docere licet cuicunque Chriſtiano, vt non tantum Ædeſius & Frumentius olim adoleſcentes captiui, Indos, ſed etiam muliercula, Indos docuit teſte Theodoreto hiſtoriæ lib. 1. cap. 23. 24 Et tamen Paulus 1. ad Timoth. 2. *Mulieri docere non permitto*: id eſt ex paraphraſi Iuſtiniani, *Neque etiam fas eſſe duco, aut vlla ratione patior fœminam docendi munere perfungi.*

XXXII. Atqui in verbis Chriſti, docendi hæc intelligitur ratio poſterior. Agitur enim de munere Apoſtolico. Maldonatus, *Loquitur enim hic, non de qualibet poteſtate: ſed de ea, quam Apoſtolis dabat, id eſt, de poteſtate regni ſui ſpiritualis acquirendi, colligendique, quam ad rem Apoſtolos mittebat.* Salmero tractat. 33. tom. 11. *Ex poteſtate ei data, recte infertur, quod ex eadem legatos in omnem terram deſtinare poſſit, qui eadem poteſtate fungi, prout ei placuerit valeant, non ſolum hominibus, ſed & in Angelis cœli.* Et paulo poſt, *Atque ita illos miniſtros verbi & Sacramenti conſtituit, in quo eſt ſumma poteſtas Euangelica.* Itaque non male obſeruauit Beza verbũ μαθητεύσατε, & vertit *diſcipulas facite*, quia videlicet aliud ſit, quam τὸ διδάσκειν quod poſtea exprimitur. Solet enim τὸ μαθητεύειν Græcis non tantum diſcere; ſed ſe alteri in diſciplinam tradere; atque eum pro magiſtro ſuſcipere. Quare falſo pronuntiat Bellarminus miniſterium hoc verbi omnibus licere; omnibus imperari in articulo neceſſitatis. Ac proinde abiit in ventos ſubtilitas.

XXXIII. Tertium argumentum: Actor 8 Philippus Diaconus Simonem & Eunuchum: Nono, Paulum Ananias baptizauit: At horum neuter aut Apoſtolus, aut Epiſcopus, aut Sacerdos: imo poſterior plane laicus. Nam Paulus baptizatus primo anno à paſſo Domino, cum nondum eſſent ordinati vlli Epiſcopi, aut Sacerdotes; exceptis Apoſtolis. Item 10. Petrus baptizari iuſſit à fratribus, qui ſecum venerant; quos certe probabiliſſimum eſt non fuiſſe Apoſtolos, aut Diaconos. Denique 2. in Pentecoſte baptizata ſunt tria hominum millia: quod certe non potuit commodo fieri per ſolos Apoſtolos: itaque oportuit vt alii etiam baptizarent, qui laici eſſent.

XXXIV. Eia vero, quid ergo delicias facitis? Quid continetis vos intra terminos vltimæ neceſſitatis? Cur non totas laxatis habenas, & omnibus æquo iure permittitis pro arbitrio Baptiſmi miniſterium. Nam hoc argumentum aut nihil probat; aut hoc probat. Probat, inquam, nullo expectato neceſſitatis articulo poſſe quemcunque laicum baptizare: nam profecto eorum exemplorum nullum eſt, in quo vel veſtigium neceſſitatis appareat. Imo cur deferri vultis ordinibus veſtris, ne præſente clerico baptizet laicus? Nam in poſtremo exemplo non tantum Petro; ſed etiam Apoſtolis cunctis viuentibus, videntibus, laicos baptizaſſe dicitis; nec ſolum ratum Baptiſmum; ſed etiam legitimum: nec enim quicquam peccati admittitis. An pœnitebat aliquando intempeſtiuæ ſubtilitatis? An vero potius veſtras ipſi vites cædere mauultis, quam nobis non eſſe importuni?

XXXV. Sed enim Philippum fuiſſe tantum Diaconum: Ananiam duntaxat laicum, non habet docere Bellarminus. Philippum ſane Actorum viceſimo primo legimus Euangeliſtam; qui gradus erat ſupra Diaconum: nam poſter. ad Timotheum 4. legimus, *Opus perage Euangeliſtæ,* cum tamen Timotheum in confeſſo ſit fuiſſe Epiſcopum. Et in ipſo Actorum octauo idem Philippus deſcribitur profectus extra Eccleſiam in qua erat conſtitutus Diaconus: atque inibi prædicaſſe Euangelium. Vnde cur non concludamus promotum à Diaconatu ad gradum ſuperiorem?

XXXVI. Ananiam fuiſſe laicum, ne tenue quidem indicium Lucas reliquit: & tota narratio videtur repugnare: fit enim veriſimile Eccleſiam quæ eſſet Damaſci non relictam abſque vllo Paſtore: & Saulum ad Paſtorem potius ablegatum, quam ad alium quenquam. Nam quod temporis circunſtantiam Bellarminus opponit; ego quidem non definierim: quod cum Lucas expreſſum noluerit, non poteſt niſi coniecturis diuinari. Vnum dico, referri conuerſionem Pauli à Baronio in annum Chriſti triceſimum ſextum. Iuſtiniani etiam verba hæc eſſe cap. 4. diſputat. de Paulo Apoſtolo, *Vero ſimilius videtur, quod aſſerit Oecumenius, Pauli conuerſionem anno à Chriſti nece ſecundo contigiſſe: quod videlicet ab obitu Chriſti vſque ad vocationem Pauli annus integer præterierit, ſuperque menſes ferme decem.* Item Romanum Martyrologium 25. Ianuarii, notat annum ſecundum ab aſcenſione. Quid ergo ſequutus eſt Bellarminus? Quid Salmero qui tractatu 29. in Acta, decem menſes ſolos numerat?

XXXVII. Sed enim negamus nos vel decem menſes fuiſſe Eccleſiam Damaſcenam abſque vllo Epiſcopo, ſiue Presbytero relictam, quaſi neglectam ab Apoſtolis: qui tamen ſcirent non poſſe Eccleſiam ſubſiſtere abſque collectis: neque collectas abſque publico miniſtro. Nam quod negat vllos dum inſtitutos Epiſcopos, aut Sacerdotes, præter Apoſtolos, vnde habet? An quia tacuit Lucas? Atque hoc argumento conſtabit, nunquam inſtitutos: quia nunquam idem dixit inſtitutos.

XXXVIII. Fallit Bellarminus, Cornelium, & reliquos iuſſos baptizari à fratribus. Non enim ita Lucas dixit: ſed tantum iuſſos baptizari: προσέταξέ τε αὐτοὺς βαπτισθῆναι ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου, *Et iuſſit eos baptizari in nomine Domini*: quibus verbis non neceſſario ſignificatur aliis quibuſdam baptizandi partes eſſe mandatas: ſed illos ipſos iuſſos eſſe, vt ſe baptizari vellent. Et vero Martyrologium Romanum ſecundo Februarii teſtatur Cornelium à Petro baptizatum. Lorinus in eum locum, *Nihil obſtat vel inſignem Cornelii perſonam baptizare Petrum voluiſſe, vel reliquos quoque familiares eiuſdem.* Sed & gloſſa interlinearis ambiguum reliquit, *A ſociis ſuis vel à ſeipſo.* Syrus interpres, *Præcepit eis vt baptizarentur* פקד לחון דיעמדון.

XXXIX. De tribus millibus baptizatis Actor. 2. mirum eſt Ieſuitæ cuiquam potuiſſe videri non potuiſſe fieri, quum Franciſcus Xauier teſte Salmerone tract. 15. in Acta iactabundus ſcripſerit non tantum intra paucos annos à ſe baptizata quadringenta millia: ſed etiam vno die quindecim millia. Item quindecim millia ab vno potuiſſe baptizari: non potuiſſe à multis tria millia! Siccine? Et inter Chriſtianos?

XL. Ad rem quod attinet, ſolutionem ſufficient etiam Ieſuitæ. Salmero illo eodem tractatu, *Sed iam quæritur qui fieri potuerit, vt tot vno die baptizari potuerint? Commode reſponderi poteſt, impoſſibile non fuiſſe.* En tibi concordes fratres. Bellarminus, *certe non potuit commode fieri:* Salmero, *impoſſibile non fuit.* Sed cur ita viſum Salmeroni? Honeſtiori certe viro, qui rationem redditam voluerit: cum Bellarminus tantum ſit effatus. Salmero igitur non vnam rationem expediuit, *Quia erant miniſtri centum viginti. Deinde probabile eſt etiam non fuiſſe baptizatos per ſubmerſionem, ſed per aſperſionem, ſiue intinctionem, & verborum prolationem: ita enim multa millia poſſunt expediri intra horam.* Similiter Lorinus, ne Salmeronem ſolitarium clames, *Non immerſione, non effuſione, ſed aſperſione: qua facile eſt multos ſimul baptizari, & aqua attingi, cuius vel gutta etiam ſufficit.*

XLI. Quartum argumentum ex Catechiſmo Tridentino Suares congruentiam appellat, & ita concipit. Quia Baptiſmus eſt Sacramentum maximæ neceſſitatis reſpectu omnium hominum: ergo expediens fuit, vt illius adminiſtratio omnibus concederetur, præſertim neceſſitate vrgente. Et confirmatur: nam propter hanc cauſam inſtitutus eſt in materia communi, quæ vbique facile reperitur, & in ſimpliciſſima actione, ac verbis Ergo eadem ratione fuit conueniens, neceſſarium miniſtrum huius Sacramenti eſſe valde communem, atque adeo miniſterium hoc cuilibet concedi. Formo. Omne Sacramentum maxime neceſſarium debet ab quocunque homine miniſtrari. At Baptiſmus eſt eiuſmodi. Ergo debet à quocunque miniſtrari. Maior probatur, quia debet facillime miniſtrari: quod ipſum confirmatur à facilitate materiæ & formæ.

XLII. Reſpondeo; primo negari maiorem: alioquin cur limitant ipſi Papiſtæ; neque admittunt ad hoc miniſterium infantes? Imo baptizandum nolunt niſi in extrema neceſſitate poſitum? Imo cur limitationes addunt: vt ne præſente viro mulier miniſtret; aut præſente clerico laicus? præſente Chriſtiano Turca Iudæusve: Nam profecto ſi ex ipſa Sacramenti huius natura educitur permiſſio quæ ratio peccati ſupererit? Quod ſi has exceptiones ſibi permittant, quid firmitatis reliquum faciunt argumento? Bene igitur congruentiam appellant: id eſt id generis argumentum; cui tantum roboris ſit, quantum quiſque volet; vt cum ſeptenarii laudes cantillabantur ad numerum Sacramentorum definiendum.

XLIII. Ad rem ipſam dico, Sacramentum dici vel externum ſignum; vel rem ſignificatam. Secundum externum ſignum, nego vllum Sacramentum eſſe maximæ neceſſitatis: atque adeo hoc ipſum, prout ante diſputatum eſt. Secundum rem ſignificatam; negatur maior. Nam Euchariſtia itidem extremæ eſt neceſſitatis; quia nemo ſeruari poteſt qui non ederit carnem, & biberit ſanguinem Chriſti: & tamen ne Papiſtæ

quidam Euchariſtiæ miniſterium promiſcuum eſſe volunt. Item reconciliatio peccatoris cum Deo extremæ eſt neceſſitatis: quod abſq; ea nemo ſeruatur: & tamen Pœnitentiæ, quanquam in Sacramentis eam numerent, ſolum Sacerdotem miniſtrum eſſe volunt.

XLIV. Poſtremum argumentum à teſtimoniis Veterum. Tertulliani libro de Baptiſmo; *Alioqui & laicis ius eſt baptizandi. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt.* Alexandri Epiſcopi Alexandrini, qui teſte Rufino ratum habuit Baptiſmum miniſtratum ab Athanaſio puero & laico. Concilij Niceni, teſte Hieronymo contra Luciferianos, ſtatuentis Baptiſmum hæreticorum eſſe ratum. Concilij Elibertini canone 38. Ambroſij in 4. ad Epheſios. Hieronymi contra Luciferianos Auguſtini ſecundo contra Epiſtolam Parmeniani, capit. 13. Concilij Carthaginenſis tertij, canone 100. Gelaſij Epiſtola 1. Iſidori 2. de officiis, cap. 24. Magiſtri cum vniuerſa Schola lib. 4. diſt. 6.

XLV. Reſpondemus; primum ſcire nos iam olim de laicis, ita ſcriptũ. Sed regeri humanam autoritatem, nulla fultam Scriptura, non eſſe legitimum fundamentum diſputationum Chriſtianorum: quod exemplo vicino facile docetur. Nam Euchariſtiæ perceptionem neceſſariam eſſe infantibus etiam aſſertum. Teſtis Maldonatus in Ioann. 6. *Miſſam facio Auguſtini, & Innocentij primi ſententiam, quæ ſexcentos circiter annos viguit in Eccleſia, Euchariſtiam etiam infantibus neceſſariam.* Et tamen ſtatim, *Res ab Eccleſia & multorum ſeculorum vſu, & decreto Concilij Tridentini explicata eſt, non ſolum neceſſariam illis non eſſe, ſed ne licere quidem dari.* Itaque Sophiſtæ debuerunt horum teſtimoniorum fragilitatem agnoſcere.

XLVI. Nos certe diſſimulare non poſſumus, obſeruatis etiam incommodis. Nam illud quale exemplum eſt Athanaſij? Puerum obſeruauit Bellarminus, & laicum; ſed diſſimulauit ludentem: ſic enim oportuit cautelæ gratia: ſed non veritatis. Hanc enim circumſtantiam ij notarunt à quibus narrationem habemus. Ruffinus hiſtoriæ libr. 1. cap. 1. *Alexander Epiſcopus videt eminus puerorum ſupra oram maris ludum, imitantium, vt fieri ſolet, Epiſcopum, atque ea quæ in Eccleſiis geri mos eſt.* Paulo poſt, *Cum adeſſent, quis eis ludus, & quid egiſſent, vel quomodo percunctatur. Illi, vt talis habet ætas, pauidi, negare primo, deinde rem geſtam per ordinem pandunt, & baptizatos à ſe eſſe quoſdam catechumenos confitentur per Athanaſium, qui ludi illius puerilis Epiſcopus fuerat ſimulatus.* Ex Sozomeni 2. Eſt & apud Nicephorum cap. 44. lib. 8. Horrendum auditu; vllum dari locũ in Eccleſia ludicris geſticulationibus, puerilibus nugamentis. Quid igitur reſtat quo minus hiſtrionum in ſcena rata ſint imitamenta rerum religioſarum? Cur non ergo iam tunc Epiſcopus Athanaſius? Nam is æque in eodem luſu factus dicitur Epiſcopus? Tandem ergo abeſt, hoc exemplo moueamur, vt potius ſufficere exiſtimemus ad reprimendam ſuperſtitionis audaciam.

XLVII. Quid? quod vt primo à clericis ad laicos: ita poſtea à viris euentum ad mulieres? Nam primo his prohibitum. Tertullianus de Velandis virginibus, cap. 9. *Non permittitur mulieri in Eccleſia loqui: ſed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec vllius virilis muneris, nedum Sacerdotalis officij ſortem vendicare.* De Baptiſmo, cap. 17. *Petulantia mulierum quæ vſurpauit docere, vtique non etiam tinguendi ius ſibi pariet: niſi ſi quæ noua beſtia venerit ſimilis priſtinæ: vt quemadmodum illa Baptiſmum auferebat, ita aliqua per ſe eum conferat.* Clemens conſtitutionum 3. cap. 9. περὶ δὲ τοῦ γυναῖκας βαπτίζειν, γνωρίζομεν ὑμῖν ὅτι κίνδυνος οὐ μικρὸς ταῖς τοῦτο ἐπιχειρούσαις, *De mulieribus baptizantibus ſcitote, quæ hoc tentant, non mediocre periculũ eas incurrere:* διὸ οὐ συμβουλεύομεν· ἐπισφαλὲς γὰρ, *quamobrem non hoc conſilium damus, periculoſum enim eſt:* εἰ γάρ τι καὶ ἔδει ὑπὸ γυναικῶν βαπτίζεσθαι, πάντως ἂν καὶ ὁ κύριος ὑπὸ τῆς ἰδίας μητρὸς ἐβαπτίζετο, *Quod ſi à mulieribus baptizari oporteret, profecto Chriſtus à matre ſua baptizatus eſſet:* Epiphanius Collyridianis diſputat, non permiſſum mulieribus, ἱερατεύειν ἢ κανονικόν τι ἐργάζεσθαι ἐν ἐκκλησίᾳ, Sacerdotio fungi, aut quicquam canonicum gerere; alioquin Mariæ virgini potiſſimum: ᾗ οὐδὲ βαπτίζειν δέδοται πεπίστευται, *cui tamen ne Baptiſmum quidem conferre erat conceſſum.*

XLVIII. Deniq; vin videre audaciam? In Concilio Carthaginenſi 4. Canone 100. *Mulier baptizare non præſumat:* Sic enim definitum. Viſum durum: itaque mollierunt Lombardus & Gratianus: ille diſtinct. 6. libri 4. iſte Canone *Mulier* de Conſecratione, diſtinctione 4. *Mulier*, inquiunt, *quamuis ſancta, baptizare non præſumat, niſi neceſſitate cogente.* Et ita deinceps contractum, quod confidentius erat definitum, & magis abſolute. Eſt autem hic mos perpetuus Papiſtarum; vt ex ſuo, ſuiq; præſentis temporis ſenſu Veteres metiantur; ac ſi nõ recens additæ eſſent exceptiones à poſterioribus: ſed cum ipſis natæ patribus: tanta audacia eſt.

XLIX. Sed & de laicis; mirare Tertulliani rationem. *Laicis*, inquit, *ius eſt baptizandi. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt.* Itane? Quid ergo limitationes, exceptiones anquiritis? Cur neceſſitatem extremam? cur abſentiam legitimarum perſonarum? cur diſtinctionem ſolennis & priuati Baptiſmi? Nam profecto omne genus homines recipiunt Baptiſmum abſq; neceſſitate, præſentibus quibuſcunque, & in Eccleſia ſolenniter. Si ergo quod ex æquo accipitur, ex æquo dandi ius eſt, abſque vlla neceſſitate mulier baptizabit, & præſentibus viris, Presbyteriſque; & deniq; ſolenniter atq; in Eccleſia: quod tamen puduit concedere. Deniq; Euchariſtia ex æquo accipitur. Ex æquone etiam licebit fœminæ Euchariſtiam conficere? Ite, & adorate, quicquid Tertulliano dictum!

L. Eliberinum Concilium canone triceſimo octauo, nonnihil indulſerat laicis: ſed exceptionem ſuperſtitioſi ſublatam voluerunt. *Peregre nauigantes*, aiebant, *aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem, qui lauacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptizare, in neceſſitate infirmitatis poſitum catechumenum.* Vides non cuilibet permiſſum baptizare, ſed baptizato. non bigamo: nec quemlibet, ſed catechumenum. Fracti ſunt deinceps carceres; & qua data porta ruit audacia; vt baptizati, non baptizati nullum diſcrimen eſſet; non catechumeni momentum vllum. Eaden reſtrictio erat Tertulliani; arceſſentis ius dandi à iure accipiendi.

LI. Hæc incommoda manifeſte oſtendunt naturam ſuperſtitionis: cui nec modus ſit nec menſura; vt cohiberi nequeat quo minus in maiora ſeipſam in dies præcipitet; & ex vel paruis occaſionibus audendi quidlibet ſibi libertatem faciat. Itaque conſultiſſimum eſt intra traditionis initia cogere humanam curioſitatem; & ad fontes primos redire à riuis turbidis; vt non quid fecerint, qui ante nos, obſeruemus, ſed quid iuſſerit, qui ante omnes.

LII. Sed egregium eſt ſophiſma; Nicænum Concilium ſtatuit Baptiſmum hæreticorum eſſe ratum: at inter hæreticos aliquos non eſt verum Sacerdotium; proinde laici fuerunt qui baptizarent: licet fortaſſe dicerentur Sacerdotes. Ergo laicis licet baptizare. Veruntamen, inquam, iidem illi hæretici publice baptizabant; baptizabant ſolenniter, baptizabant in Eccleſia. An etiam mulieribus, laiciſve itidem Papiſtæ permittent? Quod ſi non permittant: quis prohibeat ridere conſequentiæ futilitatem? Et ſane idem Hieronymus, qui id conſtitutum obſeruauit in ea Synodo: in hunc modum ſcribebat in eodem libro: *Orote, vt aut ſacrificandi licentiam tribuas, cuius Baptiſma probas, aut reprobes eius Baptiſma, quem non exiſtimas Sacerdotem.* Nimirum in ea Synodo tantum hæretici comparati ſunt Catholicis, non autem clerici laicis. Itaque definitio ita intelligenda: vt Baptiſmus in cæteris par Baptiſmo apud Catholicos, eo tantum differens, quod eſſet hæreticus: ſanciretur admittendus.

LIII. Nec eſt verum in hæreſi vocatos ad miniſterium fuiſſe laicos. Etſi verum, non fuiſſe ſemper vocationem legitimam: ſed hæc quæſtio differt ab illa. Itaq; eodem libro Hieronymus vrget eorundem hæreticorum Epiſcopos fuiſſe recipiendos, eum venirent ad Eccleſiam Catholicam: atq; adeo hæc illi quæſtio erat præ manibus contra Luciferianũ negantem. Iſte, *Recipis laicum, qui erraſſe ſe confitetur: & Dominus mauult pœnitentiam peccatoris, quam mortem.* Ille, *Recipe ergo & Epiſcopum; qui & erraſſe ſe confitetur: & Dominus mauult pœnitentiam peccatoris quam mortem.*

LIV. Summa ſolutionis. Diſceſſerunt à primis patribus poſteriores Papiſtæ in mulierum Baptiſmo: hinc nobis geminum momentum. Prius licere in eodem à poſterioribus Papiſtis redire ad priores partes: aliquanto ſaniores: itaq; nobis muliebrem Baptiſmum improbari. Alterum, quæ cauſa viſa eſt patribus concedere laicis Baptiſmum: eadem & mulieribus viſa poſtea eſt communis, & induxit poſſe à mulieribus miniſtrari Baptiſma; quod eſt abſurdum: Ergo ne laicis quidem apta fuit permittere. Itaq; cum bona pace Veterum non Papiſtarum poſtremam damnamus audaciam, ſed etiam veterum improbamus licentiam laicorum.

LV. Nunc erunt argumenta noſtra. Primum. Iis ſolis baptizare competit, quibus commiſſio data eſt baptizandi: At ſolis præfectis Eccleſiæ data hæc commiſſio eſt: Ergo ſolis præfectis Eccleſiæ competit baptizare. Maior per ſe patet: quia Baptiſmi inſtitutio pendet à ſola voluntate inſtituentis: itaque ex hac ſola metienda: quomodo Euchariſtiæ: cuius adminiſtratio non aliam ob cauſam prohibita eſt laicis: minor patet ex Matth. vlt. *Euntes docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

LVI. Bellarminus reſpondet primo: non eſſe certum ſolis id Apoſtolis dictum: veriſimile tum dictum in die Aſcenſionis, cum adeſſent Apoſtolis quinguenti fratres, teſte Paulo 1. ad Corinth. 15. Secundo, Apoſtolica facta mandatum hoc expoſuiſſe; qui tolerarint Stephanum concionantem, & Philippum, Ananiamq; baptizantem; & vt tunc vrgebat neceſſitate cum pauci eſſent miniſtri, ita nunc vrgere neceſſitatem cum quis ſit in periculo vitæ, abſentibus Sacerdotibus.

LVII. Sed de poſteriori ſolutione non oportet nos eſſe ſollicitos, qui iam examinauimus exempla Philippi & Ananiæ: oſtendimuſque nihil eſſe quod nobis obſit. Et illud de neceſſitate ſit etiam diſcuſſum.

LVIII. Reſtat prior. In qua illud incertiſſimũ, eundem apparitionem deſcribi à Matthæo & Paulo. Nam Matthæus diſerte numerat vndecim diſcipulos. *Vndecim*, inquit, *diſcipuli profecti ſunt in Galilæam.* Meminerint aduerſarij, quanta vi torqueant aduerſum nos, duodecim numeratos in vltima Cœna. vt efficiant nemini concedendum calicem laico: & patiantur in ſe verti artes ſuas. Rurſum Paulus notauit poſtquam viſus eſt quingentis illis, viſum fuiſſe iterum Chriſtum non tantum Iacobo ſed etiam Apoſtolis omnibus. Cum tamen ſit veriſimile ita factum poſt Aſcenſionem.

LIX Sed quid ad me tamen? Demus ſane alios adfuiſſe plurimos. An propterea non proprie dictum Apoſtolis? Mitto Matthæum, poſtquam numeraſſet vndecim, ſcribere, *Et accedens loquutus eſt eis:* quanquam in eo non ſit vis nulla: ſed res ipſa certe eſt manifeſta. Conſentiunt enim inter interpretes his verbis inſtitutam Apoſtolicam autoritatem: qua de re paulo ante dictum. Itaque non poſſunt hæc verba promiſcue pertinere ad omnes fideles: clericos & laicos.

LX. Secundo habemus analogiam functionum Sacerdotalium, in quas nihil licet non Sacerdotibus. Vt potes in alterum Sacramentum, videlicet Euchariſtiæ, quam nemo Papiſtarum permiſſam patiatur cuiquam non Sacerdoti. Similiter in Pœnitentiam, Ordinationem, Confirmationem: in excommunicationem: denique in publicam prædicationem. Itaque Veteres coniungebant. Tertullianus de velandis Virginibus. *Non permittitur mulieri in Eccleſia loqui: ſed nec docere, nec tinguere, nec offerre.* De præſcriptionib. cap. 41. *Ipſæ mulieres hæreticæ quam procaces! quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tinguere.* Clemens Conſtitut. lib. 3. ca. 10. Ἀλλ' οὐδὲ λαϊκοῖς ἐπιτρέπομεν ποιεῖν τι τῶν ἱερατικῶν ἔργων· οἷον θυσίαν, ἢ βάπτισμα, ἢ χειροθεσίαν, ἢ εὐλογίαν μικρὰν ἢ μεγάλην· οὐχ ἑαυτῷ γάρ τις λαμβάνει τὴν τιμὴν, ἀλλ' ὁ καλούμενος ὑπὸ τοῦ θεοῦ. διὰ γὰρ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ ἐπισκόπου δίδοται ἡ τοιαύτη ἀξία, ὁ δὲ μὴ ἐγχειρισθεὶς ταύτην, ἀλλ' ἁρπάσας αὐτὴν ἑαυτῷ, τὴν τιμωρίαν τοῦ Ὀζίου ὑποστήσεται, *Imo neq; laico* (loquutus erat de mulieribus) *permittimus facere aliquid opus Sacerdotale, vt Sacrificiũ, aut Baptiſmũ, vt impoſitionẽ manus, aut benedictionẽ ſiue paruã, ſiue magnã, Nemo enim ſibi ſumit honorẽ, ſed qui vocatur à Domino: huiuſmodi namq; gratia per impoſitionem manuum Epiſcopi datur: qui vero nõ eſt ad eam lectus, ſed potius ſibi eam rapuit, hic ſupplicio Oziæ afficietur.*

LXI. Reſpondet Bellarminus; hæc intelligenda de publico miniſterio, non priuato in caſu neceſſitatis. Ideo Tertullianum dicere, in Eccleſia non licere mulierem loqui, docere, tingere: & coniungere officium dandi Baptiſmi, cum officio ſacrificandi, quod eſt ſemper publicum.

LXII. Sed hoc artificium illud eſt, quod dicebam, Sophiſtarum, qui ex ſuis commentis recentioribus metiuntur quicquid vel antiquiſſimum eſt. Nobis contra ſatis eſt, apud veteres nunquam has exceptiones additas, quas hodie quaſi numeratas carminum ſyllabas tam religioſe noſtri repe-

tunt Sophiſtæ, cauentes omittere. De neceſſitate dictum paulo ante. Publicum miniſterium dico, vel ex ſua natura, vel ex circumſtantiis cenſeri. Priori modo cenſendum ex re ipſa; nempe vt ſit publicum, quod autoritate indiget publica. vt exempli gratia. Reconciliandi peccatores miniſterium ſemper eſt publicum, quia reconciliantem oportet eſſe perſonam publicam, eius iuris compotem. Altero autem modo variari ex locorum, aut temporũ; aut aſſiſtentium varietate: vtpote priuatum dicatur, quod non in publico cœtu; ſed in familia aliqua peragatur, aut aliter: ſicut apud Papiſtas miſſæ priuatæ nominantur. Hoc poſito poteſt adminiſtratio Baptiſmi priuata dici ſecundo modo: vt, cum Paulus baptizauit Carcerarium, Actor. 16. Philippum Eunuchum 8. ſed re tamen ipſa ſemper publicam eſſe priori modo.

LXIII. Et ita dico intelligendos veteres: ſic inquam coniungi officium dandi Baptiſmi, cum officio ſacrificandi. Quia videlicet, quomodo ſacrificare nemini licet non Sacerdoti, ac proinde publicæ perſonæ: ſiue id Sacrificium publice fiat coram præſente Eccleſia; ſiue priuatim in aliqua familia, quod apud Papiſtas frequentiſſimum: ſic & baptizare. Et ſic Clementem dicere, neminem ſibi rapere honorem exercendi aliquod opus Sacerdotale: & qui non fuerit vocatus, eaſdem daturum pœnas cum Oza.

LXIV. Perperam autem apud Tertullianum Sophiſta connectit illud in Eccleſia, cum reliquis membris, quaſi eſſet in Eccleſia loqui, in Eccleſia docere, in Eccleſia tinguere; quod non eſt ita. Tantum enim in Eccleſia loqui: repetitis Pauli verbis; quia eſſet abſurdum ſimpliciter prohibere mulierem loqui. Verum reliqua diſparantur, *Sed nec docere*, & quæ ſequuntur; quæ apud Paulum non extant; & à Tertulliano adiiciuntur ob ſimilitudinem rationis; itaque intelligendum; mulieri non licere loqui in Eccleſia: multo minus docere tinguere. Patet, quia itidem copulatum, offerre; quod Bellarminus omiſit repetere. At hoc ipſum offerre Papiſtæ mulieri non permittunt neque in Eccleſia, neque alibi vſquam. Ita ridicule interpretarentur Tertullianum quaſi dixiſſet in Eccleſia loqui, in Eccleſia docere, in Eccleſia tinguere, in Eccleſia offerre: quaſi extra Eccleſiam, id eſt; cœtum publicum liceret mulieri offerre.

LXV. Addimus Baſilium improbaſſe laicorum Baptiſmum; Auguſtinum non valde certum fuiſſe approbandi. Baſilij locus eſt Canone primo, Epiſtolæ 1. ad Amphilochium. *Λαϊκοὶ γενόμενοι οὔτε τοῦ βαπτίζειν, οὔτε τοῦ χειροτονεῖν εἶχον τὴν ἐξουσίαν, Laici effecti* (eos dicit qui in hæreſim diſceſſiſſent) *nec baptizandi, nec ordinandi habebant poteſtatem: διὸ ὡς παρὰ λαϊκῶν βαπτιζομένους, τοὺς παρ᾽ αὐτῶν ἐκέλευσαν ἐρχομένους ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν, τῷ ἀληθινῷ βαπτίσματι τῷ τῆς ἐκκλησίας ἀνακαθαίρεσθαι, Quare eos qui ab ipſis baptizati eſſent, tanquam à laicis baptizatos iuſſerunt ad Eccleſiam venientes vero Eccleſiæ Baptiſmo expurgari.* De Cypriano loquitur, & Firmiliano, qui & hæreticorum, & ſchiſmaticorum omnium Baptiſmum docuerant eſſe irritum: quaſi eſſet à laicis collatum: ſatis oſtendens eam ſolennem fuiſſe inter Chriſtianos perſuaſionem, Baptiſmum à laico collatum eſſe irritum: quod vidit Baronius ad annum 258. §. 47. & putauit indigere recta interpretatione, id eſt, papiſtica.

LXVI. Auguſtinus contra Epiſtolam Parmeniani cap. 13. lib. 2. *Quicquid non habetur, dandum eſt cum opus eſt dari: quod vero pernicioſe habetur; per correptionem depulſa pernicie agendum eſt, vt ſalubriter habeatur. Quanquam etſi laicus aliqua pereunti dederit neceſſitate compulſus, quod cum ipſe acciperet, dandum eſſe addidicit; neſcio an pie quiſquam dixerit eſſe repetendum. Nulla enim neceſſitate cogente ſi fiat; alieni muneris vſurpatio eſt: ſi autem neceſſitas vrgeat, aut nullum; aut veniale delictum eſt.* Compara cum Papiſtis hodiernis, nihil tam certo, tam conſtanter definientibus: & diſce, nondũ inualuiſſe in Eccleſia hanc ſententiam. Nam cur non æque audacter Auguſtinus cum Bellarmino, ſi eadem vtrinq; fuiſſet perſuaſio?

LXVII. Bellarminus negat Auguſtinum fuiſſe dubium. Nam illud, *Neſcio an pie quiſquam dixerit*, phraſin eſſe plane aſſertoriam: ſignificantem, non niſi impie id affirmari. Illud autem, *aut nullum, aut veniale, delictum*, interpretandum, ſi nõ adhibeatur omnis diligentia vt Sacerdos inueniatur, tum eſſe veniale peccatum: at vero nullum ſi adhibeatur. Sed prioris interpretationis cur nulla adhibuit exempla? cur ſola ſua contentus fuit autoritate, quaſi eſſet prætoria? Atqui ſi hæc ſufficeret; iam primum oportuit non diſputatum, ſed aſſertum laicis licere baptizare. At nos nunquam perſuadebimur perinde eſſe ſi dicat quis; ſe neſcire vtrum quid fiat bene; & ſibi certum eſſe fieri bene: dum nobis audacia Ieſuitica non demonſtrabit flumina retro fluere. Alterum eſt puerili; cum enim dicitur ſi neceſſitas vrgeat vel nullum vel veniale ex peccatum; quis non videt vnam eandemque hypotheſin eſſe? At iſte ſublimis Sophiſta duas ſupponit. Egregium ſane interpretandi artificium.

## CAP. XV.

### *De Baptiſmi legitimis ritibus.*

I. HActenus quæ Baptiſmo ſunt eſſentialia: nunc erunt ritus qui præter eſſentiam. Eorum ordines duos explico; vnum legitimorum; alienorum alterum. Priorem, qui oritur ab ipſa Sacramenti natura, atque eius inſtitutione. Generali tamen prius ſuppoſita diſtinctione baptizandorum in infantes & adultos: quorum illi nati ex fidelibus. Hi vero ſiue nati ex fidelibus, ſiue ex paganiſmo primum venientes, vt inſerantur Eccleſiæ.

II. Adultorum ordo erat Catechumenorum, quibus à diſciplina nomen inditum, quod audirent in Eccleſia; atque ita erudirentur dogmata eius religionis, quam profeſſuri venirent. Iſidorus de Officiis lib. 2. cap. 20. *Catechumeni ſunt, qui primum de gentilitate veniunt, habentes voluntatem credendi in Chriſtum. Et quia primum exhortationis præceptum eſt in lege Dei, Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt: inde eſt vt is cui per Sacerdotem quaſi per Moſen Deus primum loquitur, Catechumenus, id eſt audiens, nominetur; ſcilicet vt vnum noſcens Deum, relinquat errores nefarios idolorũ.* Rabanus Maurus de Inſtitut. Clericorum lib. 1. cap. 25. *Ante Baptiſmum catechizandi debet in hominem peruenire officium, vt fidei primum Catechumenus accipiat rudimentum. Nam in Euangelio ſecundum Matthæum legitur; quod poſt reſurrectionem Dominus Apoſtolis præceperit, vt in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti docerent, & baptizarent omnes gentes, id eſt prius fidem Dei illis inſinuarent, & ſic credentes in remiſſionem peccatorum baptizarent. Hinc eſt, quod ſecundum Marcum idem Dominus legitur prepoſuiſſe fidem Baptiſmati, cum dixit, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Capite ſequ. *Catechumenus autem dicitur, pro eo quod adhuc doctrinam fidei audit, necdum tamen Baptiſmum recipit. Nam κατηχούμενος; Græce; Latine auditor interpretatur.* Et ſane audientes Auguſtinus appellat, de Verbis Domini, ſermon. 46. *Qui inter vos adhuc Catechumeni vel audientes vocantur.* Hinc catecheſis ipſa ratio inſtruendi, & catechiſtes, qui inſtruendis operam dabat.

III. Catechizandi modum habes, Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 7. cap. 40. *Ὁ μέλλων τοίνυν κατηχεῖσθαι τὸν λόγον τῆς εὐσεβείας, παιδευέσθω πρὸ τοῦ βαπτίσματος. qui initiis atq; elementis Chriſtianæ religionis imbuendus eſt, doceatur ante Baptiſmum, vt noſcat Deum ingenitum, agnoſcat filium vnigenitum; habeat certum plene de Spiritu Sancto. Diſcat ordinem diuerſæ creationis, diſcat ſeriem prouidentiæ, diuerſæ creationis, diſcat ſeriem prouidentiæ diuerſa legis tribunalia.* Et quæ ſequuntur prolixius. *Ταῦτα καὶ τὰ τούτοις ἀκόλουθα μανθανέτω ἐν τῇ κατηχήσει ὁ προσιών, Hæc & alia conſequentia diſcat in catecheſi, qui accedit.* Eius moris nullum mihi veſtigium in Dionyſio Areopagita: ſed frequentiſſimi tamen ſermones ſunt aliorum ad Catechumenos: Imo tota Cyrilli ad illuminatos catecheſeon ſeries eo ſpectat.

IV. A Catechumenis fuere qui diſtinguerent competentes: & eos notarent, qui eo labore defuncti, ad Baptiſmum ſeſe tandem recipiendum compararent. Iſidorus cap. 21. *Poſt Catechumenos ſecundus competentium gradus eſt. Competentes autem ſunt, qui iam poſt doctrinam fidei, poſt continentiam vitæ, ad gratiam Chriſti percipiendam feſtinant: ideoq; appellantur competentes, id eſt, gratiam Chriſti petentes.* Nec aliter Rabanus Maurus: aut hodie Papiſtæ Bellarminus, Vaſques, alij. Et habent grauem autorem Ambroſium Epiſtola 33. *Dimiſſis Catechumenis ſymbolum aliquibus competentibus in baptiſterii tradebam baſilicæ.*

V. Veruntamen Auguſtinus videtur non alios intelligere quam Catechumenos: nam & hi Baptiſmum poſtulabant. Etenim de fide & operibus cap. 6. *An vſque adeo diſſimulamus à ſenſibus noſtris, vt vel nos ipſos non recordemur quam fuerimus attendi atque ſolliciti quod nobis præciperent à quibus catechizabamur, cum fontis illius Sacramenta peteremus, atque ob hoc competentes etiam vocaremur: vel non intuemur alios, qui per annos ſingulos ad lauacrum regenerationis accurrunt, quales ſint ipſis diebus, quibus catechizantur, exorcizantur, ſcrutantur? quanta vigilantia conueniant, quo ſtudio ferueant, quam curam pendant.* Hæc profecto omnia ad Catechumenos pertinebant. De cura pro mortuis, cap. 12. *Dedit nomen inter alios competentes, pariter cum pluribus incognitus nobis.* Scilicet poterat eſſe incognitus, qui inter Catechumenos eſſet aliquandiu verſatus. Epiſtola 155. *Tuam etiam veri ſcripta deſidero: & te nomen dediſſe inter competentes, vel daturũ eſſe, iam iamque cognoſcere.* Cuius Epiſtolæ argumentum male habet, gratulari veteri amico, quod Catechumenus eſſet factus, & hortari; vt Baptiſmum accipiat. Inepte. Nam de Catechumeno quod loquatur nihil eſt prorſus: ſed de eo tantum cui propenſa voluntas eſt ad amplexandum Chriſtianiſmum; nondum tamen prorſus expedito. Retractationum 1. cap. 17. ſuum librum de fide & ſymbolo recenſens, negat in eo fieri verborum illam contextionem; *quæ tenenda memoriter competentibus traditur:* Symbolum innuit quod Catechumenis ſoleret tradi, reddendum ab iis qui ad Baptiſmum accederent. Itaque nullus ego quidem dubito fuiſſe Auguſtino competentes, eos qui alias dicerentur Catechumeni.

VI. A Leone Romano pro competentibus electos habere ſe putant: cum legunt Epiſtolæ quartæ, cap. 5. & 6. baptizandos electos. Illi viderint: Ego ſane credo eſſe rei eiuſdem alterum nomen ex his verbis ſexti, *In baptizandis electis: qui ſecundum Apoſtolicam regulam, & exorciſmis ſcrutandi, & ieiuniis ſanctificandi, & frequentibus ſunt prædicationibus imbuendi.* Noſtra tamen ne pili quidem intereſt; ſitne Catechumenorum & competentium ſiue electorum diſcrimen aliquod an nullum.

VII. Vtcunque ergo illa ſint, deinceps in vſu fuerunt Nominis profeſſio, Scrutinium, Abrenunciatio; Fidei profeſſio. Nominis profeſſio, ritus eſt, quum adultus auens baptizari profitetur nomen ſuum. Concilij Carthaginenſis canone 85. *Baptizandi nomen ſuum dent.* Auguſtinus de Cura pro mortuis, cap. 12. *Dedit nomen inter alios competentes.* Confeſſionum nono ſexto. *Vbi tempus aduenit, quo me nomen dare oporteret.* Epiſtola 155. *Et te nomen dediſſe inter competentes.* De verbis Domini, ſerm. 46. *Ecce Paſcha eſt: da nomen ad Baptiſmum.*

VIII. Hæc ita profeſſa nomina ſcribebantur. Dionyſius Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, cap. 2. *ἀπογράψασθαι κελεύει τοῖς ἱερεῦσι τὸν ἄνδρα καὶ τὸν ἀνάδοχον, τῆς δὲ ἀπογεγραμμένων εὐχὴν ἱερὰν ποιεῖται; Iubet Sacerdotes deſcribere tum virum, tum eius ſuſceptorem: & poſtquam ſcripſerint, preces concipit.* Id eſt, interprete Pachymere, *κελεύει τοῖς ὑπ᾽ αὐτὸν πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις ἐν δέλτοις ἱεραῖς ἀπογράψασθαι τὸ ὄνομα τοῦ τε προσελθόντος, καὶ τοῦ ἀναδόχου. Iubet ſub ſe conſtitutos Presbyteros & Diaconos in ſacris tabulis deſcribere nomina tum accedentis, tum ſuſceptoris.* Hinc Gregorius Niſſenus oratione de Baptiſmo: *Δότε μοι ὀνόματα, ἵνα ἐγὼ μὲν αὐτὰ ταῖς αἰσθηταῖς ἐγχαράξω βίβλοις, καὶ γράψω τῷ μέλανι· θεὸς δὲ ταῖς ἀφθάρτοις πλαξὶν ἐνσημαίνηται, δακτύλῳ γράψας ἰδίῳ, ὥς ποτε τοῖς Ἑβραίοις τὸν νόμον; Date mihi nomina, vt ego ea imprimam libris ſenſilibus, & ſcribam atramento. Deus autem ea ſignet in tabulis in quas non cadit interitus, ſcribens proprio digito, vt olim legem Hebræis.*

IX. Docet autem Dionyſius hæc ita data, deſcriptaq; nomina, poſtea ad aquas fuiſſe inclamata. *Κελεύει τὸν ἄνδρα προσκομισθῆναι καί τινες ἱερεῖς ἐκ τῆς ἀπογραφῆς αὐτόν τε καὶ τὸν ἀνάδοχον ἀνακηρύξαντος, Iubet virum proferri: ac quidem Sacerdote ex deſcriptione & eum & ſuſceptorem inclamante illo à Sacerdotibus ad aquam deducitur, ὁ δὲ ἱεράρχης ἄνωθεν ἑστηκὼς ἀναβοησάντων πάλιν ἐπὶ τῷ ἱεράρχῃ κατὰ τὸ ὕδωρ τὸ ὄνομα τοῦ τελουμένου τῶν ἱερέων; Pontifex in ſublimi ſtans inclamantibus iterum apud Pontificem ad aquam nomen initiati Sacerdotibus, ter eum baptizat Pontifex.*

X. Et ſane nihil æquius; quam nomina dare Eccleſiæ, qui Eccleſiæ adſcribi velint. Quanquam deſcriptionem crediderim non fuiſſe perpetuã. Non enim fuit facile cum per turbas Baptiſmus conferretur olim, vt tribus millibus Actor. 2. & quinq; millibus 4. Sed re tamen in ordinem redacta, videtur inſtitutio rationabilis, vt non tantum nomina darentur, ſed etiam deſcriberentur in tabulis Eccleſiaſticis.

XI. Bellarminus & Vaſques præter hanc nominis profeſſionem; addiderunt impoſitionem, in ritibus comitantibus Baptiſmum. Quem etiam

Vaſques

Vaſques addidit hanc ſemper fieri nō tantum in infantibus, quibus tunc primum daretur nomen; ſed etiam in adultis priore mutato, & quidem ab antiquo tempore. Nec nos diffitemur ita nunc fieri inter Chriſtianos, cum iampridum vix alij quàm infantes baptizantur, vt eorum tum primum nomen addatur, quaſi in actione ſolenni. *Et forte ex imitatione Circumciſionis*; cuius exemplum habemus Lucæ 1. in Ioanne Baptiſta: & 2. in Seruatore noſtro. Quanquam nullum teſtimonium occurrat vere antiquum. Nam quod illi recitant ex Dionyſio apud Euſebium lib. 7. cap. 20. in eo nihil eſt prorſus quod ad Baptiſmum pertineat. *Ioannis Apoſtoli multos fuiſſe gentiles arbitror* (Græce ὁμωνύμους) *qui propter ſingularem amorem quo erga illum affecti erant, propter admirationem quam de eo habebant & propter æmulationem, qua ad illud imitandum flagrabant, & quod à Domino pari ratione diligi cupiebant, etiam iſtam appellationem amplexati ſunt: quemadmodum nomina Pauli & Petri ſi delium liberi crebro ferunt.* Apud Piſanum Nicenus Canon ex Arabico 50. magis ad rem, *Vt fideles nomina gentilium filiis ſuis non imponant: ſed potius omnis natio ſuis nominibus vtatur, vt gentiles ſuis vtuntur, imponanturq; nomina Chriſtianorum im Baptiſmo, dum legitur Scriptura, & baptizantur in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis ſemper colendæ & adorandæ.* Verum vnde ſit hic Canon, aut cuius ætatis, incertum: certum nō eſſe Nicenum, Porro teſtatur Vaſques ne in ritibus quidē Romanenſibus hanc impoſitionem eſſe, *Neque,* inquit, *vlla alia nunc ceremonia pro impoſitione nominis vtimur, præter quàm interrogare ſponſores, quo nomine vocetur cathechumenus, qui adducitur ad Eccleſiam pro Baptiſmo, & deinde in ipſa forma Baptiſmi ipſum nomine proprie compellare*,

XII. Adultis profecto non eſt veriſimile mutata fuiſſe nomina. Atq; adeo, quæ exempla habemus ſiue ex Scripturis, ſiue ex hiſtoria in iis nihil apparet tale. Actor. 7. Simon: 9. Saulus 10. Cornelius 13. Sergius Paulus; 16. Lydia: 17. Dionyſius, & Damaris, nomina ſunt eadem baptizatis quæ prius erant. Similiter. Conſtantinus, Ambroſius, Auguſtinus, Adeodatus, Tertullianus. Cyprianus, Gregorius Nazianzenus pater ac filius, Syneſius; denique apud Auguſtinum, cap. 2. octaui Confeſſionum, Victorinus. Nam quid plures nominem? Breuiter nullum exemplum eſt mutati nominis. Nam quod Baronius ad annum trecenteſimum ſeptimum diuinauit Hecaterinæ nomen mutatum in Dorotheam, nugamentum eſt puerile; cum Hecaterina nullius linguæ ſit analogia. quæ tamen Græca eſſe debuit. Apud Areopagitam res eſt manifeſta accidentium ad Baptiſmum deſcribi nomina, ſed & ſuſceptorum; eademque poſtea recitari inter baptizandum. Itaq; nobis ſane perſuaſum, profitendum eſſe nomen ſiue infantis oblati: ſiue adulti competentis: perindeque eſſe ſiue recens imponatur, ſiue vetus repetatur: in adultis tamen præſtare repeti.

XIII. Scrutinium appellant examen competentium, qui poſtquam ſedula inſtitutione eſſent eruditi, ad aquas venirent. Hos enim Epiſcopus explorabit diligenter. Alcuinus de diuinis officiis in Sabbatho Paſchę, *Fiunt ſcrutinia, vt exploretur ſæpius, an poſt renuntiationem Satanæ, ſacra verba data fidei radicitus corde defixerint.* Nomen ipſum recens, in ordine Romano, Alcuino, Amalario, Rabano: nullo autem vetuſtiore: niſi quod ſcrutandi verbo ſunt olim vſi Auguſtinus, & Leo primus. Ille cap 6. de fide & operibus, *Ipſis diebus, quibus catechizantur, exorcizantur ſcrutantur.* Iſte c. 6. Epiſt. 4. *In baptizandis electis, qui ſecundum Apoſtolicā regulam, & exorciſmis ſcrutandi, & ieiuniis ſanctificandi, & frequentibus ſunt prædicationibus imbuendi* Certe nemo improbare queat ſeriam in tam ſanctis rebus non prophanandis diligentiam: ne, quantum fieri poterit, lateant Simones. Et vero præiuerunt Apoſtoli ſuis exemplis. Nam Philippus, Actor. 8 interroganti Eunucho, *Quid prohibet me baptizari?* reſpondit, non ſimpliciter, licet: ſed addita hypotheſi, *Si credis ex toto corde, licet.* Et Eunuchus ſtatim, *Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum*: ac tum demum eſt baptizatus.

XIV. Abrenuntiationem dicunt cum catechumenus profitetur renuntiare Diabolo pompæq; eius atq; operibus. Dionyſius, ἐμφυσῆσαι μὲν αὐτῷ τρὶς ἀποκελεύεται τῷ σατανᾷ, καὶ προσέτι τὰ τῆς ἀποταγῆς ὁμολογῆσαι· καὶ τρὶς αὐτοῦ ἀποταγὴν μαρτυράμενος, ὁμολογήσαντα τρὶς τοῦτο μετάγει πρὸς ἕω, *Iubet eum tertio Sathanam inſufflare: & inſuper abrenuntiationis ſolennibus verbis prapoſitis, ter profeſſum in orientem transfert.* Cyrillus catecheſi 1. myſtagogica. εἰσῄειτε πρῶτον εἰς τὸν προαύλιον τοῦ βαπτιστηρίου οἶκον, καὶ πρὸς τὰς δυσμὰς ἑστῶτες ἠκούετε προστεταγμένοι ἐκτείνειν τὴν χεῖρα, καὶ ὡς παρόντι ἀποτάσσεσθαι τῷ σατανᾷ. *Primum ingreſſi eſtis in porticum domus baptiſterij, & ſtantes verſus occidentem mandari vobis audiſtis, vt portenſa manu tanquam præſenti Satanæ renuntiaretis.* Et iterum. ἀλλ᾽ ὅμως ἀκούεις πλησίον τῇ χειρὶ ὡς πρὸς παρόντα εἰπεῖν, Ἀποτάσσομαί σοι σατανᾶ. *Veruntamen audis, quod protenſa manu tanquam ad præſentem dicitur, Renuntio tibi Satana,* καὶ πᾶσι τοῖς ἔργοις σου, *& omnibus operibus tuis.* καὶ πάσῃ τῇ πομπῇ αὐτοῦ, *& omni pompa illius.* Conſtitutiones Apoſtolicæ, lib. 7. cap. Ὅταν δὲ πρὸς τὸ λοιπὸν τὸ βαπτισθῆναι ὁ κατηχηθεὶς μανθανέτω τὰ περὶ τῆς ἀποταγῆς τοῦ διαβόλου, καὶ τὰ περὶ τῆς συνταγῆς τοῦ Χριστοῦ *Cum erit ad ipſum deuentum vt baptizetur qui catechizatus eſt, diſcito ea quæ pertinent ad renunciandum Diabolo, & conciliandum Diabolo, & conciliandum ſe Chriſto. Oportet enim prius abſcedere à contrariis, tum intra myſteria fieri, purgato prius corde omni nequitia, macula & ruga, ac cum demum ſacrorum participem fieri.* Ἀποταξάσθω οὖν ὁ βαπτιζόμενος ἐν τῷ ἀποτάσσεσθαι· Ἀποτάσσομαι τῷ σατανᾷ καὶ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, καὶ ταῖς πομπαῖς αὐτοῦ, καὶ ταῖς λατρείαις αὐτοῦ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ καὶ ταῖς ἐφευρέσεσιν αὐτοῦ καὶ πᾶσι τοῖς ὑπ᾽ αὐτόν. *Conteſtor ergo qui baptizatur in hunc modum. Abrenuntio Sathanæ, & operibus eius, & cultui eius, & angelis eius, & adinuentionibus eius, & omnibus quæ ſub eo ſunt.* Tertullianus de ſpectaculis, cap. 1. *Aquam ingreſſi Chriſtianam fidem in ſuæ legis verba profitemur, renuntiaſſe nos Diabolo, & pompis eius, & angelis eius ore noſtro conteſtamur.*

XV. Vehementiſſima frequentiſſimaq; apud Veteres huius partis & commemoratio eſt, & commendatio: prorſus neceſſariæ, atque eſſentialis huic Sacramento: quo initiamur Deo & Chriſto, quod prorſus fieri nequit, quin deſinamus eſſe diaboli. Certe Paulus baptizatos dixit eſſe mortuus peccato, vt ne viuant in eo, ad Romanos 6. Quare non mirum tam præciſe tam, & certo ſolenniq; carmine conceptam.

XVI. Fidei profeſſio erat in recitatione ſymboli, Clemens illo loco, Μετὰ δὲ τὴν ἀπόταξιν συντασσόμενος λεγέτω, ὅτι καὶ συντάσσομαι τῷ Χριστῷ, καὶ πιστεύω καὶ βαπτίζομαι εἰς ἕνα ἀγέννητον μόνον ἀληθινὸν θεὸν παντοκράτορα. *Poſt abrenuntiationem cum conciliatur, dicit, Reconcilior Chriſto, & credo, & baptizor in vnum ingenitum ſolum verum Deum omnipotentem.* Et quæ ſequuntur in articulis fidei.

XVII. Sic profeſſio fiebat in verba ſymboli, alias ſimpliciter recitando: vt colligitur ex Clemente: & manifeſtius ex Auguſtino 8. Confeſſion. 2. *Ventum eſt ad horam profitendæ fidei, quæ verbis certis conceptis retentiſque memoriter de loco eminentiore in conſpectu populi fidelis Romæ reddi ſolet ab eis qui acceſſuri ſunt ad gratiam tuam.* Et poſt: *Pronuntiauit ille fidem veracem præclara fiducia.* Et hoc puto Auguſtinus ſignificauit de fide & operibus, capite vndecimo, *Cur baptizandis vel ſymbolum tradimus, reddendumque repoſcimus.*

XVIII. Alias vero reſpondendo interroganti Sacerdoti per ſingula, in ſubſidium forte pudoris, aut memoriæ. Colligitur ex Cypriano, Epiſt. 70. *Sed & ipſa interrogatio, quæ fit in Baptiſmo, teſtis eſt veritatis. Nam cum dicimus, Credis in vitam æternam, & remiſſionem peccatorum per Sanctam Eccleſiam: intelligimus remiſſionem peccatorum non niſi in Eccleſia dari.* Ex Hieronymo contra Luciferianos, *Cum ſolenne ſit in lauacro poſt Trinitatis confeſſionem interrogare, Credis Sanctam Eccleſiam? Credis remiſſionem peccatorum?* Ex Ambroſio de Sacramentis libro ſecundo, capite ſeptimo, *Interrogatus es, Credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixiſti, Credo, & merſiſti. hoc eſt, ſepultus es. Iterum interrogatus es, Credis in Dominum Ieſum Chriſtum, & in crucem eius? Dixiſti, Credo, & merſiſti: ideo Chriſto es conſepultus: qui enim Chriſto conſepelitur, cum Chriſto reſurgit. Tertio interrogatus es, Credis & in Spiritum Sanctum: Dixiſti, Credo tertio merſiſti, vt multiplicem lapſum ſuperioris ætatis abſolueret trina confeſſio.*

XIX. Hi ritus omnes ab ipſa Baptiſmi inſtitutione habuerunt originem: nec debent omitti. Tantum pro ætatis ratione diſpenſari, Sic enim fieri non poſſunt niſi ab iis qui ſint rationis compotes. Ab infantibus minimè. Itaque ridiculum eſt, cum ab iis exiguntur eodem modo, quo à viris iam olim factitatum legimus apud Auguſtinum, & retinetur in liturgia Romanæ Eccleſiæ. Ignoſcant veteres pij Patres. Nobis hic mos non poteſt non videri alienus à ratione, vt cum infante haud aliter agas, quam cum viro ſoleas ætatis grandioris: quod in nutricibus ridentes tolleamus. Certe quod nolis facere in rebus ſeculi multo minore incommodo, cur audeas in religionis negotio, vbi ſanctitas ipſa grauitatem flagitat, ſeriamque attentionem, cuiuſmodi nulla eſſe poteſt, cum id verbis geritur, quod re ſciunt omnes præſentes videntes, neque præſtari, neque adeo poſſe? Denique hunc morem quis non videt, eius temporis eſſe, cum vix milleſimus quiſq; baptizabatur non adultus, & in catechumenis diligenter exercitus? Ex quo ſi fuit ipſa catecheſis omiſſa, cum ventum ad infantes: neque enim quiſquā fuit adeo addictus primæ conſuetudini, vt his auderet catechiſmi laborem impendere; cur reſeruata ea ſunt, quæ & ex catecheſi pendent: & non ſunt minus aliena ab ea ætatula?

XX. His ritibus remotior ille quidem paulo, ſed non inutilis tamen ſuſceptorum, quorum vſum deſcribit Dionyſius eodem illo cap. de Baptiſmo. Qui in animum induxerit baptizari, ἐλθεῖν ἐπί τινα τῶν μεμυημένων, *venire ad aliquem iam initiatum*: & rogare ἡγήσασθαι αὐτῷ τῆς ἐπὶ τὸν ἱεράρχην ὁδοῦ, *vt ſibi præeat eunti ad Pontificem.* Hunc ἀνάδοχον appellat, eique in manus ſcribit tradi tandem baptizatum [illegible]. Fideiuſſores appellat autor ſerm. 16. de tempore: *Non ſolum exemplis, ſed etiam verbis eos ad omne opus bonum admonere debetis, præcipue tamē qui filios excipere religioſo animo deſiderant, & antequam baptizantur, & poſtquam baptizati fuerint, de caſtitate, de humilitate, de ſobrietate, vel pace eos admonere, vel docere non deſinant, & agnoſcant ſe fideiuſſores eſſe ipſorum.*

XXI. Præclarum inuentum: nec tantum viris non inutile: ſed etiam infantibus præcipue neceſſarium: quibus eos Tertullianus adſcribit de Baptiſmo, cap. 18. & Sponſores appellat. Sed & Auguſtinus Epiſtola 23. *Offeruntur*, inquit, *paruuli ad percipiendam ſpiritalem gratiam, non tam ab eis, quorum geſtantur manibus, quamuis & ab ipſis, ſi & ipſi boni fideles ſint, quàm ab vniuerſa ſocietate ſanctorum & fidelium.* Et paulo poſt teſtatur: *multos non offerri à parentibus. ſed etiam à quibuslibet extraneis. ſicut à Dominis ſeruuli aliquando offeruntur: & nonnunquam mortuis parentibus ſuis paruuli baptizantur ab eis oblati, qui in illis huiuſmodi miſericordiam præbere potuerūt: aliquando etiam eos, quos crudeliter parentes expoſuerunt, nutriendos à quibuſlibet, nonnunquam à ſacris virginibus colliguntur. ab eis offeruntur ad Baptiſmum.* Cap. 4. & 21. de peccatorum meritis & remiſſione; *Vellem aliquis iſtorum qui contraria ſapiunt, mihi baptizandum paruulum offerret. Quid in illo agit exorciſmus meus, ſi in familia diaboli non tenetur? Ipſe certe mihi fuerat reſponſurus per eodem paruulo quem geſtaret, quia ille pro ſe reſpondere non poſſet.*

XXII. Illud durū fuit, quod huiuſmodi ſponſiones ſic eſſent, quaſi in ſcena ludus fieret, non in Eccleſia Sacramentum celebraretur, Nam profecto inimicū fuit, ſic interrogari infantē, quaſi virum: ſic reſpondere virum quaſi infantem: & quidem hunc de aliena conſcientia tam confidenter: qui ſcrupulus male habuit olim Bonifaciū Epiſcopum apud Auguſtinum Epiſt. 23. cum miraretur parentes pro paruulo tā confidenter reſpondere, quaſi aut id eſſent, quod eos futuros incertū erat: aut eos motus haberēt: eos ve ſenſus, quorum tamen nō eſſent capaces, *Si conſtituā,* aiebat, *ante te paruulū & interrogē, vtrū cum creuerit futurus ſit caſtus, vel fur non ſit futurus, ſine dubio reſpōdebit neſcio. Et vtrū in eadē paruula ætate conſtitutus cogitet aliquid boni vel mali, dices neſcio.* Itē, *Interrogamus enim eos à quibus offeruntur, & dicimus, Credit in Deū? De illa ætate quæ vtrū ſit Deus ignoret, reſpondent, credit: & ad cætera ſic reſpondetur ſingula quæ geruntur.* Cui difficillimæ quæſtioni, non tm̄ breuiter, quod fatetur; ſed ēt frigide reſpondet Auguſtinus, dici paruulos fidem habere, propter fidei Sacramentum, etſi fidei affectum non habeant: quia videlicet Sacramenta rerum ſuarum nomina ſortiantur. Ignoſcat vir ſanctus, ſed nimium facilis tolerare ſua tempora. Non aduertebat eas interrogationes, reſponſioneſq; fieri ante Baptiſmum: ac proinde eum dici credere. qui neq; affectum haberet fidei, neq; Sacramentum. Tum autem idem ipſe. c 34. primi de peccatorum meritis & remiſſione, *Ego quidem.* inquit, *ſi contra eum hæc ſentire exiſtimarem, nec ad Sacramentum cum paruulo intrare permitterēt:* Ex quibus verbis conſtat non Baptiſmum præſupponi, vt reſpondeatur, ſed contra reſponderi, vt ne à Baptiſmo paruulus excludatur.

XXIII. Huic incommodo plane ſatis fit, cum diſtinctis ætatibus, adulti quidem ipſi interrogati pro ſe ipſi reſpondeant credere: aſt infantes ſi baptizentur, de eorum futura inſtitutione ſponſores caueant Eccleſiæ, polliciti ſedulam pietatis inſtitutionem, cui non poſſint eſſe inutiles ſuo ſi velint officio defungi. Qua parte laudamus libentes Tridentinum Catechiſmum, in quo ſic legimus, *In primis explicare oportet, quæ cauſa fuerit, cur ad Baptiſmum præter Sacramenti miniſtros patrini & ſuſceptores adiungerentur. Quod quidem optimo iure factum eſſe omnibus videbitur, ſi meminerint Baptiſmum eſſe ſpiritualem regenerationem, per quam Filij Dei naſcimur. Vt igitur poſtquam aliquis in hanc lucem editus eſt, nutrice & pædagogo indiget, quorum ope atq; opera educetur, ac doctrina & bonis artibus erudiatur: ita etiã neceſſe eſt, vt qui Baptiſmi fonte vitam ſpiritualem viuere incipiunt, alicuius fidei & prudentiæ committatur, à quo Chriſtianæ religionis præcepta haurire, atq; omnem pietatis rationem inſtitui poſſint.* Optime. Sed nos miramur qui factum ſit, vt cordati viri de iis ipſis, quos inſtituendos agnoſcant in fide, haud aliter reſpondentes, quam ſi iampridem plene inſtituti forent, ſe ſperarint non futuros ridiculos.

XXIV. Longe etiam abſurdius iſtud ex eodem Catechiſmo. *Sanctiſſime à Sancta Eccleſia conſtitutum eſt, vt non ſolum is qui baptizat cum baptizato: ſed etiã ſuſceptor cum eo, quem ſuſcipit, & cum eius veris parentibus affinitate deuinciatur: ita vt legitima nuptiarum fœdera inter hos iniri nõ poſſint, atque inita dirimantur.* Sanctiſſime, inquit: nec tamen ſanctitatis vllius vel indicato veſtigio, cum ſoleat alioquin ſatis prolixe verboſus eſſe. Verum ita ſcilicet, quod deſperauit demonſtrandum maluit ſpecioſe affirmationis dignitate commendare. Sed hoc ſcilicet cogitabat Auguſtinus, cum diceret, paulo ante ſolere parentes ſuos ipſorum liberos ſuſcipere. Hoc nunc obiter: nam alias tractata controuerſia fuit.

---

## Cap. XVI.

### *De Baptiſmi ritibus alienis.*

I. Alterum genus rituum diximus Alienorum: qui non vt priores ab natura, vllave Baptiſmi neceſſitate educti; ſed ab aliis cauſis ſiue occaſionibus deriuati, atq; etiam accerſiti, & ἐκ περιουσίας anquiſiti. Valafridus Strabo de rebus Eccleſiaſt. cap. 26. *Sciendum primo ſimpliciter in fluuiis vel fontibus baptizatos credentes.* Et paulo poſt: *Sicut autem ſupra oſtendimus, creſcente proceſſu temporum religionis honore, inſtitutionum Eccleſiaſticarum vſq; ad plenitudinem decus creuiſſe: ita & huius myſtici lauacri gradatim per temporum augmenta in maius celebratio creuit. Addiderunt alij chriſmatis vnctionem: alij exorciſmos, alij conſecrationem fontis, alij ſalis vel ſalinæ infuſionem, alij catechumenorum ordinabilem inſtructionem, alij ſcrutinia diligentiſſima ad tantum myſterium præparationis ſtatuerunt. Sed & multa alia, quæ & exemplis diuinorum actuum, vel dictorum inuenta ſunt, & congruentiſſimis ſpiritualium profectuum ſignificationibus plena noſcuntur: ſicut copioſa priorũ de eiſdem rebus documenta demonſtrant. Celebratur autẽ ipſum Baptiſma verum non niſi in nomine ſummæ Trinitatis.* Sic ſcilic. in cumulum paulatim res abiit. Sed enumerabo ſingula capita: poſt diſcuriam.

II. Primum omnium tempora fuere olim aſſignata baptiſmo ſolenni. Ea tempore fuiſſe Paſchæ, & Pentecoſtes Sabbatha, conſtat ex Epiſtolis Siricij 1. Leonis primi 84. Gelaſij 1. Ex Cyrilli catecheſibus factis in Quadrageſima: Hieronymo ad Pammachium de erroribus Ioannis. Auguſtino de cura pro mortuis, cap. 12. Et aliunde. Rationes inſtituendi Suares explicauit ex Leone, Tertulliano, Thoma: Quia baptiſmus ex Dominica paſſione habeat efficaciam, delendi peccata; & inſtar reſurrectionis transferat nos de morte in vitam: itaq; merito celebretur in Paſcha, cum paſſio Chriſti, reſurrectioque eſt conſummata. In Pentecoſte autem, quod illo toto tempore reſurrectio Domini & Paſchalis feſtiuitas celebretur, ibique conſummetur: vel quia tunc gratia Sancti Spiritus copioſius diffuſa ſit? vel quia tunc baptiſmus publice ab Apoſtolis prædicari atq; adminiſtrari cœperit.

III. Sic tamen aſſignata conſtat, vt exciperetur neceſſitas vrgens, quo caſu nulla fuit vnquam, nec prudenter eſſe potuit, inquit Suares, temporis limitatio determinata. Quanquam in Theſſalia Socrates lib. 5. cap. 22. Græci Codicis ſcripſit etiam neceſſitatis curam nullam fuiſſe, ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ πάσχα μόνον βαπτίζουσι: διὸ σφόδρα πλὴν ὀλίγων οἱ λοιποὶ μὴ βαπτισθέντες ἀποθνήσκουσιν, *Diebus feſti Paſchatis duntaxat baptizant: ob quam cauſam omnes paucis admodum exceptis abſq; Baptiſmate moriuntur.* Veruntamen alibi ægrotantium ratio ſolebat haberi, vt etiam in lecto baptizarentur, vnde Clinicis nomen; Vide Cypriani Epiſtolam 76.

IV. Tamen factum iam pridem vt eorum dierum ſolennitas hæc obſoleuerit. Suares notauit duraſſe aduſque Caroli Magni tempora, autoribus Rhenano & Pamelio in Tertulliani de Baptiſmo: poſtea cœptam aboleri, iamque eſſe omnino antiquatam; exceptis quibuſdam veſtigiis, cum Romæ ſpecialis quædam retineatur ſolennitas. Rationem mutationis repetit ex Ruperto 4. de diuinis officiis, *Poſtquam Chriſtianitas creuit, & ſagena illa verbi Dei de piſcibus impleta eſt, quia periculoſum erat tantam multitudinem differre propter occaſiones mortis quæ in multitudine hominum multa ſunt, maximè propter turbam infantium ex Chriſtianis parentibus ſuccreſcentium, quorum teneræ vita perſæpe leui occaſione ſuccidiitur, viſum eſt Sanctæ Eccleſiæ, paſſim indulgentia baptizandi conceſſa, imo oblata, cuncta antevenire pericula: Baptiſmi tamen ſolennitatem, vel in paucis cum Dominica reſurrectione, cui ſimilis eſt, celebrare.*

V. Secundo. Aquæ conſecratio eſt. Vaſques, Antiquæ Eccleſiæ conſuetudine obtentum eſt, vt aqua pro baptiſmo, ſeu fons aqua plenus benedicatur, non ſolum ſacris orationibus, & inuocationibus, ſed etiam vnguenti & Chriſmatis trina perfuſione Quæ benedictio fieri conſueuit in Sabbathis Paſchæ & Pentecoſtes; vnde tunc baptizabantur adulti reſeruabatur autem quædam eius aquæ particula baptizandis reliquo anno infantibus, & infirmis.

VI. Tertio, ſignum crucis in fronte, & in pectore ſola manu ſacerdotis, non oleo, aut chriſmate, quod obſeruat Vaſques: ad ſignificandum, inquiunt Colonienſes, quod baptizandus nomen dat Chriſto crucifixo, in quo confidat, quem publicitus confiteri non erubeſcat. Imo, inquit Rabanus Maurus, vt ipſe apoſtata Diabolus in vaſe ſuo priſtino ſuæ interemptionis cognoſcens ſignum, iam ſibi deinceps ſciat illud eſſe alienum. Colonienſis addunt idem ſignum ſuper oculos, vt intelligamus baptizandũ præparari ad videndum caritatem? ſuper aures quoque, vt intelligamus eum conſecrari vt audiat verbum veritatis Dei: ſuper nares, vt percipiat ſuauitatem odoris Dei: ſuper pectus, vt credat in eo, quia corde creditur ad iuſtitiam: ſuper ſcapulas, vt ſuſcipiat iugum ſeruitutis Dei: ſuper os denique, vt confiteatur illi; quia ore confeſſio fit ad ſalutem.

VII. Et ſane apud Veteres Crucis frequentiſſima mentio; ſed in fronte, non alibi; quod quidem viderim. Ac Bellarminus & Vaſques frontis meminit duntaxat, & pectoris; reliquis omiſſis partibus: Auguſtinus de catechizandis rudibus, cap. 22. *Cuius paſſionis & crucis ſigno in fronte hodie tanquam in poſte ſignandus es, omneſq; Chriſtiani ſignantur.* Autor ſerm. 19. de Sanctis apud Auguſtinum, *Eiuſdẽ crucis ſigno per manus impoſitionem baptizati dona gratiarum accipiunt.* Conſtitutionum Apoſtolicarum, cap. 17. libr. 3. Datur Baptiſmus in mortem Filij Dei: aqua adhibetur pro ſepultura: oleum pro Spiritu Sancto: ἡ σφραγὶς ἀντὶ τοῦ σταυροῦ, *Signaculum pro cruce.* Dionyſius, primulum accedentem, σφραγισάμενον ἀπογράψασθαι κελεύει, *ſignatum iubet deſcribi.*

VIII. Quarto, Exorciſmus eſt, qui, teſtibus Colonienſibus, verbo & exſufflatione peragitur: quanquam a Bellarmino, atque aliis exſufflatio ſeorſim numeretur. Sed Vaſques etſi numero diſtinxit tamen re maluit annexam. *Sexta*, inquit, *ceremonia eſt exorciſmus, ſeu adiuratio dæmonis, cui annumerari ſolet & ſeptima Exſufflatio, cum tamen hæc annectatur exorciſmis, & ſit pars quædam illorum.* Fit exorciſmus, vt ſpiritus immundus à baptizando expellatur, vtque per purum ſacerdotis miniſterium Spiritui Sancto cedat fugiens ſpiritus malignus: quæ verba ſunt Colonienſium. Similiter Rabanus Maurus, *Poſtquam ſe per confeſſionem veræ fidei in alterius commendauerit dominium, & per abrenuntiationem à prioris poſſeſſoris ſe alienauerit ſeruitio, ex ſufflatur ab eo ſatana poteſtas, vt per pium Sacerdotis miniſterium Spiritui Sancto cedat fugiens ſpiritus malignus.*

IX. Ritus eſt antiquus; quanquam eius non meminerit Dionyſius, vtcunque laudatus Bellarmino teſtis; nec Clemens quidem in Conſtitutionibus: qui tamen duo videri voluerunt antiquiſſimos, atq; adeo Apoſtolicos ritus explanare. Adde nequidem apud Tertullianum inueniri. Veruntamen alij non pauci teſtimonium ei perhibent. Nazianzenus oratio 40. μὴ διαπτύσῃς ἐξορκισμοῦ θεραπείαν. *Ne exorciſmi medicinam reſpue:* βάσανος ἐστὶ καὶ αὐτὸς τοῦ περὶ τὸ χάρισμα γνησιότητος, *Nam id quoq; velut lapis lydius eſt, ad quem explorantur quàm ſincero quiſq; pectore ad Baptiſmum accedat.* Auguſtinus de fide & operibus, cap. 6. Sine dubio non admitterentur, ſi per ipſos dies, quibus eam gratiam percepturi ſunt ſuis nominibus datis, abſtinentia, ieiuniis, exorciſmiſq; purgantur, cum ſuis legitimis & veris vxoribus ſe concubituros profiterentur. Cyrillus Catecheſeon præfatione, Τοὺς ἐπορκισμοὺς δέχου μετὰ σπουδῆς· κἂν ἐμφυσηθῇς, κἂν ἐπορκισθῇς, σωτηρία σοι τὸ πρᾶγμα νόμισον εἶναι, *Exorciſmos ſtudioſe ſuſcipe. ſiue inſuffleris, ſiue exorcizeris, exiſtima rem eam tibi eſſe ſaluti.* Sic enim vertendum, non vt Godrecius.

X. Nec in adultis ſolis, ſed & infantibus vſitatum conſtat ex Auguſtino, de peccato originali contra Pelagium, libri 2. cap. 40. *Ipſa ſancta Eccleſiæ Sacramenta ſatis indicant paruulos à partu etiam recentiſſimos per gratiam Chriſti de diaboli ſeruitio liberari. Exceptio enim quod in peccatorum remiſſionem non fallaci, ſed fideli myſterio baptizantur: etiam prius exorcizatur in eis, & exſufflatur in eis poteſtas contraria, cui etiam verbis eorum à quibus portantur, ſe ſe renuntiare reſpondent.* Similia legas 6. contra Iulianum, cap. 2. & cap. 20. primi de nuptiis & concupiſcentia: & 18. ſecundi. Item apud Gennadium Maſſilienſem de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 21. ſic habes, *Illud etiam quod circa baptizandos in vniuerſo mundo Sancta Eccleſia vniformiter agit, non otioſa contemplamur intuitu: cum ſiue paruuli, ſiue iuuenes ad regenerationis veniunt Sacramentum non prius fontes adeant, quam exorciſmis & exſufflationibus clericorum ſpiritus ab eis immundus abigatur.*

XI. Quinto, Salem volunt conſecratum in os dari, vt per ſal typicum conditus iniquitatis fœtore careat, id eſt, carere ſignificetur: vt quæ à vermibus peccatorum vltra ne putrefiat, ſed magis illæſus ad maiorem gratiam recipiendam ſeruetur; ac ad ſapientiæ ſaporem præparetur; quæ verba Colonienſes mutuati ſunt ex Rabano, & Iuone Veteres autem teſtes nominat Bellarminus Originem homil. 6. ſuper Ezechielem: & Concilij tertij Carthaginenſis canonem 5. & forte Auguſtinum 1. Confeſſionum. 11.

XII. Sexto, admotam ſaliuam naribus atque auribus, addito verbo. *Quod Ieſus*, inquit Rabanus, *quando ſurdum & mutum ſanauit tangens cum ſputo linguam eius, & mittens digitos ſuos in auriculas eius dixit, Ephetа, quod eſt adaperire. Hoc enim Sacramentum hic agitur, vt per ſaliuam typicam ſacerdotis & tactum, ſapientia & virtus diuina ſalutem eiuſdem catechumeni operetur, vt aperiantur ei nares ad accipiendum odorem notitiæ Dei, vt aperiantur illi & aures ad audiendum mandata Dei ſenſuq; intimo cordis reponendũ.* Iuo Carnotenſis, *Saliua quippe à capite deſcendit in os, ſupernam ſignificans ſapientiam, cuius tactu & aures cordis aperiuntur ad intelligendum verbum Dei, & nares ad repellendum fœtorem noxiarum delectationum.* Colonienſes. *Saliua typus eſt ſapientiæ, & gratiæ Dei, & diſcretionis fidei, cuius acceptio in auditu, & diſcretio in naribus ſignificatur.* Autorem haberi Bellarminus ſperauit, Ambroſium 1. de Sacramentis cap. 1.

XIII. Impoſitionem manuum ſaliuæ ſubiiciunt ac benedictionem ſacerdotalem. Bellarminus, & Vaſques: omiſſam non tantum Rabano, & Iuoni, ſed etiam Colonienſibus, Eius meminiſſe Dionyſium 2. de Hierarchia Eccleſiaſtica. Clementem ſeptimi conſtitut. 39. Concilium quartum Carthaginenſe, can. canone 85 Cyprianum in Actis Concilij Carthaginenſis in teſtimonio Vincentij à Tibari. Auguſtinum de peccatorum meritis cap. 26. Denique Dominum impoſuiſſe manum paruulis Matth. 19 Apoſtolos frequenter iis ſuper quibus orarent Actor. 8. 9. & 13.

XIV. Nec noluerunt vnctionem præſto eſſe ante Baptiſmum, oleo benedicto: In pectore, *Vt nulla reliquiæ*, inquit Rabanus; *latentis inimici in eo reſideant, ſed in fide ſanctæ Trinitatis mens eius confortetur.* Inter ſcapulas, *vt vndique muniatur, & ad bona opera facienda per Dei gratiam roboretur.* Iuo, *Vngitur Catechumenus oleo ſacro in pectore, tanquam muniatur aduerſus hoſtem inuiſibilem ne ei immunda & noxia perſuadeat deſideria Vngitur*

Vngitur

*gitur & inter ſcapulas, vbi eſt vigor portandi oneris, vt fortitudinem accipiat ad portandum pondus diei & æſtus, ſicut bonus athleta.* Teſtem nominat Dionyſium eodem loco. Clementem libro tertio. Chryſoſtomum Homilia ſexta ad Coloſſenſes.

XV. Et ne non ſatis eſſet vnctionis, alteram adhibent poſt baptiſmum in vertice ex chriſmate. Introductam putat Bellarminus, quod non ſemper adſit Epiſcopus, vt continuetur baptiſmati confirmatio. Sed Rabanus, *quia Spiritus ſanctus, qui per illud chriſma ſuæ virtutis admixtione ſanctificat credentes baptizato Ieſu; ſtatim ſuper illum in columbæ ſpecie deſcendit: cuius videlicet typum præferebat columba illa, quæ in diluuio ad arcam reportauit ramum oliuæ virentibus foliis, ſignificans vtiq; quod Spiritus ſanctus per chriſmatis vnctionem in Baptiſmate vigorem confert fidelibus cæleſtis gratiæ.* Colonienſes aliter, *In capite vngitur baptizatus, vt norit ſe capiti Chriſto inſitum, vt ſciat ſe iam à Chriſto nomen accepiſſe, ſe Chriſto nomen dediſſe, hoc eſt, Chriſti militiæ eſſe inautoratum. A chriſmate enim nomen habet Chriſtianus, ſicut & chriſma à Chriſto, in cuius nominis inuocatione, ad eum quem diximus iniungendi vſum præparatum eſt chriſma.* Porro huius vnctionis meminiſſe olim Damaſum in vita Sylueſtri: Innocentium primum epiſtolæ 1. cap. 3. Ambroſium 3. de Sacramentis, cap. 1. Hieronymum contra Luciferianos: Iuſtinum quæſt. 137. Nazianzenum orat. 40.

XVI. Ante baptiſmum rurſus abſtinentiam notant vini & carnium, atque rei vxoriæ; aliaque opera pœnitentiæ: non ad ſatisfaciendum, inquit Bellarminus, ſed vt paratiores accedant ad baptiſmum: ſic enim operibus, ait Vaſques, exercendum eſſe Catechumenum, vt ita probetur an tanto Sacramento dignus ſit, neq; vllum ſit periculum dandi ſanctum canibus docet Auguſtinus libro de fide & operibus cap. 6. & Concilium Carthaginenſe quartum canon. 85. Bellarminus addit teſtem Cyrillum Catecheſi 1. Quot autem, quantaq; huiuſmodi opera pœnitentiæ eſſe debeant, negat Vaſques certa lege definiri poſſe, ſed arbitrio prudentis relinqui.

XVII. Peracto baptiſmo; dari oſculum paucis, in ſignum fraternitatis, & huius meminiſſe Cyprianum Epiſtola 59. Sed hunc ritum olim fuiſſe, quomodo Ciceroni dictum vixiſſe; qui in carcere perierant.

XVIII. Cereum item accenſum traditum in manus baptizati, apud Nazianzenum oratione 40. & Auguſtinum in Pſal. 65. Myſterium eius Bellarminus explicat & Vaſques; ſignum fidei & gratiæ acceptæ, tranſlationiſq; poteſtate tenebrarum ad lumen & ſortem Sanctorum: At Iuo, *Quatenus doceatur implere illud Euangelij Sic luceat lux veſtra corã hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Quod ſi perſeueranter fecerit, non cum fatuis virginibus extincta lampade, à ianua ſponſi repelletur, ſed cum prudentibus glorificandus colligitur.*

XIX. Supereſt veſtis candida, data aſcendentibus de fonte nudis, geſtanda adusq; Dominicam in albis, quæ proxima eſt poſt diem Paſchæ. Meminiſſe huius Dionyſium capite de Baptiſmo. Ambroſium de iis qui initiantur, cap 27. Auguſtinum de Tempore. ſerm. 157. Myſterium detexit Iuo, *Vt qui primæ natiuitatis decorem vetuſtatis pannis obfuſcauerat, habitu regenerationis gloriæ præferat indumentum.* Sed Vaſques puritatem animæ denotari dixit: Colonienſes, manumiſſionem & libertatem.

XX. Seruari hanc ceremoniam Romæ monet Vaſques in baptiſmo ſolenni adultorum in Sabbato Paſchæ. In aliis vero baptiſmis ſucceſſiſſe in locum illius aliam, vt baptizati & vncti caput operiatur veſte candida. Verum Iuo aliter, *Tegitur,* inquit, *etiam poſt ſacram vnctionem eius caput ſacro velamine, vt intelligat ſe diademate regni & ſacerdotali dignitate potiri.*

XXI. Notant & exoleſos ritus. Deliberationem lactis & mellis; quæ tamen hoc tempore nõ eſt in vſu, inquit Bellarminus, & confirmat Vaſques. Teſtem habent Tertullianum de corona militis capite tertio, & primi contra Marcionem, cap. 14 item Hieronymum contra Luciferianos: qui tamen in 55. Eſaiæ vinum dixit & lac. Solitum etiam pedes lauari baptizatis notat Vaſques ex capite ſexto de iis qui initiantur, & tertij de Sacramentis cap. 1. apud Ambroſium: ſed non Romæ, verum Mediolani: quanquam etiam in Hiſpania coniicit ex Eliberitano, Canon. 48. quo abrogatur.

XXII. Hi ritus ſunt, quibus operoſior facta eſt baptiſmatis celebratio quam vlla fuerit vnquam aut Moſaica conſtitutio, aut etiam Ethnica ſuperſtitio. De quibus noſtra conſtans profeſſio, nec primo fuiſſe prudenter inductos, cumulatoſve: & deinceps merito à piis abrogatos, reiectoſque. Et præiuerunt in quibuſdam ipſi Papiſtæ, quantumvis & curioſiſſimi harum rerum inquiſitores, & ſuperſtitioſiſſimi obſeruatores. Nam quo illis prætextu abrogati ſunt non tantum hi poſtremi; lactis & mellis deguſtatio, aut vini, & pedum lotio: ſed etiam alij; vt veſtis candida, velamenque capitis, & pacis oſculum, & abſtinentia carnium, vinique, & temporum aſſignatio? Enimuero, ſi argumentum ſolidum eſt ab antiqua introductione; cur hæc deſierunt: ergo non eſt ſolidum id argumentum: nec tam tyrannice orbi Chriſtiano imperitare debent Sophiſtæ; vt niſi ſe ſolos, neminem potiantur non eſſe talpa cæciorem.

XXIII. Denique certiſſimum fundamentum Sacramenta nihil ſunt niſi ab inſtitutione: Hanc autem diuinam eſſe neceſſe eſt. Quare ad Sacramentum non pertinent, quæ humanitus inuenta fuere. Hos autem ritus inuentos fuiſſe ab hominibus, non inſtitutus à Deo, agnouit Valafradus Strabo: Imo etiam Thomas Valdenſis, cap. 47. tituli 5. de Sacramentalibus: *Ritus ſacros, & Sacramentales obſeruantias reu renter vt traduntur, tenere iubemur, quos omnes vt Apoſtolicos colit Chriſtiana fidelitas, quia ab Apoſtolis, vel ſuccedentibus in eorum ſedem Epiſcopis indiſtincte eos accepimus.*

XXIV. At hoc argumentum, inquit Vaſques, capit. 1. diſput. 166. in tertiam Thomæ; non modo inane eſſe: ſed etiam ſi alicuius eſſet momenti etiam in nos conuerti. Vtrumque videamus: Quomodo ergo inane? Quia non omnia, quæ Eccleſia merito ſeruat, & in more habet, ſcripto commendata ſunt: ſed ſatis eſt ſi antiqua traditione non ſcripta à maioribus illa acceperit.

XXV. Sed nos potentiſſimum eſſe defendimus; & ſentiunt ipſi aduerſarij. Nam de variis obſeruationibus quo dicunt, dicunt non ſine impoſtura. Fatemur non eſſe in Scripturis quæcunq; obſeruantur in Eccleſia: ſed propterea retinenda quæcunq; obſeruantur abſq; Scripturis, nemo dixit, niſi qui humanæ temeritati voluit omnia licere in Eccleſia. Itaq; tenendum, quod Veteres dixerunt confidenter ea omnia quæ ad fidem, moreſq; Eccleſiæ pertinent, petenda eſſe è Scripturis? Aſt Sacramentorum inſtitutionem pertinere ad fidem; quis negat? Eſt ergo potens argumentum.

XXVI. Sed quomodo in nos conuertitur? Quod etiam viſum Bellarmino, *Cum ipſi hæretici,* ait Vaſques, *aliqua etiam in Baptiſmo efficiant, quæ neque præcepto; neque exemplo in Sacris literis tradita ſunt, eodem argumento & ipſi reuinci poſſent.* Quænam autem illa ſunt, quæſo? Primum eſt, infantem adferri ad baptiſmum die Dominico, aut certo alio die, cum populus ad concionem conuenerit: ſecundum, qui deferunt interrogari, an ſpondeant ſe infantes illos inſtitutos in doctrina fidei & morum. Tertium, imponi nomen infanti. Quartum, formam baptizandi pronunciari lingua patria. Quintum, recitari ſymbolum, & orationem Dominicam, aliaſque preces.

XXVII. Sed iſtæc *οὐ κυνάλλαος* diluta eſt: nam qui accuſantur, quaſi occidiſſent hominem; obiiciunt nos quaſi acu pupugiſſe. Satin ſeu re? Atqui, quæcunq; nos ſic obſeruamus, ea Sacramenti nullæ ſunt partes; ſed honeſtæ celebrationis circumſtantiæ; in quibus quis negauit quicquam licere Eccleſiæ extra Scripturam? Non nos ſane: neque eam ob cauſam Papiſtis fuimus vnquam importuni. Sed in hoc capite merito damnamus, qui ea addiderint, quibus myſteria affinxerint, propriaſq; ſignificationes. & quidem eorum effectuum, qui pertinent ad aquam baptiſmi: quaſi bis terve eandem rem agi oportuerit: & aut nihil, aut non ſatis actum eſſet inſtituto diuino, niſi humana temeritas acceſſiſſet.

XXVIII. Secundo, monemus eorum rituum nonnullos falſo honeſtari antiquitatis titulo, Nam primo benedictionem aquæ, ante ipſam Sacramenti præſentemque celebrationem nemo prorſus Veterum nominauit, aut indicauit; quicquid Pamelius huc impudentiæ contulerit, notatione 27. in Tertulliani de Baptiſmo: quam & deprehendit, & publicauit Vaſques cap. 2. diſputat. 6. in tertiam Thomæ, *Pro conſuetudine ſeruandi aquam benedictam,* inquit, *citat ipſe* Pamelius, *aliquot Patres, in quibus nihil pro ea inuenire potui.* Et vero vide artificium. Obſeruat loquutos Veteres de conſecratione aquæ baptiſmi: Cyprianum Epiſtola 70. *Oportet, mundari & ſanctificari aquam prius à Sacerdote, vt poſſit Baptiſmo ſuo peccata hominis qui baptizatur, abluere.* In Concilio Africano apud eundem, ſententia 18. quæ eſt Sedati, *Aqua Sacerdotis prece in Sacerdotis prece in Eccleſia ſanctificata, abluit delicta.* Hæc quis neget? Verum ergo ſanctificari multis ante baptiſmum; aut diebus, aut menſibus: quis inde colligat ſanus.

XXIX. Nam ipſa illa baptiſmi celebratione quis neſcit aquas ſanctificari? Alioquin & Apoſtoli Actorum 2. & 3. & poſtea Petrus, ac Philippus, & Paulus baptizaſſent aqua non conſecrata. Et vero Dionyſius ille Areopagita, quem in teſtibus ſuis Pamelius numerat, aquæ ſanctificationem nullam deſcribit, niſi in procinctu, & poſtquam datum eſt nomen, imo ipſe catechumenus ſignatus, atque vnctus *παντελῶς*, Relege, *Inchoata vnctione* διὰ τῆς σφραγίσεως τρὶς, *ter repetito ſignaculo, deinceps ſacerdotibus toto corpore tradit vngendum.* αὐτὸς ἐπὶ τὴν μητέρα τῆς υἱοθεσίας ἔρχεται, *ipſe ad matrem adoptionis.* (fontem ſic vocat) *progreditur*: καὶ τὸ ταύτης ὕδωρ ταῖς ἱεραῖς ἐπικλήσεσι καθαγιάσας, καὶ τελεῖ τῆς πανάγιας τατη μύρου συν ... χύσεσι τελειώσας αὐτὸ, *atque eius aquam ſacris inuocationibus ſanctificans tribuſque ſacri vnguentis effuſionibus in modum crucis conſecrat*: & ſtatim, κελεύει τὸν ἄνδρα προσκομισθῆναι, *iubet deferri hominem.* Viden omnia præſentia, & perpetua actione? Quod etiam ſignificauit Ambroſius de Sacramentis, lib 1 cap. 5. *Forma Baptiſmatis & vſus hoc habet, vt ante fons conſecretur, & tunc deſcendat qui baptizandus eſt. Nam vbi primum ingreditur ſacerdos, exorciſmum facit: ſecundo ſuper creaturam aquæ inuocationem, poſtea & precem defert, vt ſanctificetur fons, & adſit præſentia Trinitatis æternæ.* Vide prolixiorem in hac refutatione Vaſquen.

XXX. Signi crucis plurima mentio apud Veteres; ſed ſiue chriſmate factum nemo dixit; ne eorum quidem quos proferunt teſtes, vnico excepto Dionyſio; qui notauit Pontificem inchoare vnctionem, διὰ τοῦ σφραγίσεως τρὶς, ter repetito ſignaculo: quod tamen ipſum Vaſques alio refert.

XXXI. Sed profecto ſalis & ſaliuæ tantundem apud Veteres, quantum in ouo pilorum eſt. Vaſques cap. 4. *Pro hac ceremonia citant aliqui,* (Bellarminus) *Originem homilia ſexta in Ezechielem, & Auguſtinum libri primi Confeſſionem capite vndecimo, vbi tamen non meminerunt de hac ceremonia ſalis pro catechumenis, ſed alio ſenſu de ſale diuina gratia loquuntur, vt quiſque facile videre poterit.* Nam ſane ſola opus eſt lectione. Auguſtini verba ſunt. *Audieram enim ego adhuc puer de vita æterna nobis promiſſa per humilitatem Domini Dei noſtri deſcendentis ad ſuperbiam noſtram, & ſignabar iam ſigno crucis eius & condiebar eius ſale, iam inde ab vtero matris meæ, quæ multum ſperauit in te.* Et hinc quiſquam extundat ſalem in baptiſmo? Quaſi Auguſtinum non conſtet virum fuiſſe baptizatum.

XXXII. Origines interpretatur illud: *Neque ſale ſalita. Et hac crimen eſt,* inquit, *Hieruſalem, quia non fuerat digna ſale Dei. Ego ſi credidero Domino meo Ieſu Chriſto ipſe me ſal faciet, dicetq; mihi, Vos eſtis ſal terræ. Si credidero Spiritui qui in Apoſtolo locutus eſt, ſale conditor; & poſſum præceptum cuſtodire, dicens, Sermo veſter ſit ſemper in gratia ſale conditus. Grande opus eſt inſaliri. Qui ſale conditur gratia plenus eſt. Nam & in communi prouerbio ſalſus dicitur gratioſus, & è contrario inſulſus, qui non habet gratiam.* Et paulo poſt: *Oportet ergo eum qui renaſcitur, vtique in Chriſto renaſcentem rationabile & ſincere lac deſideret, debet ſale ſaliri. & pannorum inuolucris colligari ne dicatur ad eum, ſale non es ſalitus, & pannis non es inuolutus.* Viden ludere Originem ſuo more allegoriis; non hærere ſali cuiquam materiali? & deniq: etiam pannos ſali adiungere? Cur non ergo Sophiſtæ vna ceremonia nobis Baptiſmum magis ſolennem affecerunt.

XXXIII. Sed in Carthaginenſis Concilij, tertij canone legerunt, *Placuit, vt etiam per ſolenniſſimos Paſchales dies Sacramentum catechumenis non detur niſi ſolitum ſal: quia ſi fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec catechumenis oportet mutari.* Vaſques, *Cuius canonis verba non parum obſcura ſunt. Nonnulli putant, per Sacramentum eo loco intelligi Euchariſtiam, huius loco, inquiunt, catechumenis ſal dabatur. Ego per Sacramentum intelligo panem benedictum, qui ſane catechumenis loco Euchariſtiæ tempore Auguſtini dabatur, & dicebatur Sacramentum. Cum igitur hoc fuiſſet in more tempore Auguſtini, videtur in eo Concilio, ſublatum; cumq; etiam in diebus Paſchatis*

vetitum

*vetitum fuerit, videtur etiam pro omni alio tempore interdictum, ita vt pro Sacramento, quod guſtari deberet, nihil catechumenis relinqueretur, niſi ſal etiam benedictum, quod omnibus dari conſueuit antè Baptiſmum:* Ergo, inquam, nihil habes certi, cum ſit obſcurus locus, & varie explicandus. Nihil ſolidi; quandoquidem non partem aliquam baptiſmi audis, ſed neſcio quid obſeruari ſolitum non in baptiſmo, ſed per Paſchales dies: cuius ratio tanto eſt obſcurior: quando hic locus vnicus eſt in tota antiquitate & ſolitarius ea de re: adeo vt ei tuto credi non debeat.

XXXIV. De ſaliua vnicum Ambroſium potuit nominare Bellarminus. *Et tamen* non teſtem. Vaſques, *Eius* ceremoniæ tangendi nares & aures, *meminit Ambroſius, quamuis de ſaliua, cum qua tanguntur, nihil dicat.* En tibi vnicum teſtem de ſaliua, qui de ſaliua nihil dicat. Tacetne? At dicit tamen de tactu narium, & aurium. Eſto: At Cyrillus Hieroſolymitanus eiuſdem meminit; & tamen non ſaliuam dicit, ſed oleum; quod tute agnoſtis, Vaſques. Eſt autẽ locus ex Catecheſi tertia myſtagogica; cum agit non de oleo, vt tu dixiſti: ſed de vnguento, περὶ τοῦ ἁγίου μύρου. Ille igitur, πρῶτον ἐχρίεσθε ἐπὶ τὸ μέτωπον, *Primum vngebamini in fronte:* εἶτα ἐπὶ ὦτα, *poſt ad aures.* εἶτα ἐπὶ τὴν ὄσφρησιν: *Poſtea ad nares:* μετὰ ταῦτα ἐπὶ τὸ στῆθος, *poſtremum in pectore*, Sic ille: quam tu ceremoniam apud alium legiſti neminem, Sed quid tum? Nam multo minus illam ſaliuæ ceremoniam.

XXXV. Quid? Cereum tu ex Auguſtino habes? Relege ex in Pſalm. 65. *Noli feſtinare ad aquam. Per ignem tranſi ad aquam, vt tranſeas & aquã. Propterea & in Sacramentis, & in catechizando, & in exorcizando adhibetur prius ignis. Nam vnde plerumq; immundi ſpiritus clamant, ardeo, ſi ille ignis non eſt? Poſt ignem autem exorciſmi venitur ad Baptiſmum: vt ab igne ad aquã, ab aqua ad refrigerium.* Pudetne? An nihil dum? Certe cereus Auguſtino nullus, ſed ignis. Hic ignis ante baptiſmum: tuus cereus non niſi poſt Baptiſmum. Vno verbo ignis exorciſmi. Et nihil pudet? At Vaſquez certe. Solus Nazianzenus lampadum meminit, αἱ λαμπάδες ἃς ἀνάψεις, *Lampades, quas accendes, illius* φωταγωγίας, *luminum geſtationis figuram gerunt, cum qua ſplendidæ & virgines animæ ſplendidis fidei lampadibus Chriſto ſponſo obuiam prodibimus.* Inane? Vnicus in tota antiquitate teſtis tibi ſufficiet? At non nobis ſi ſapimus. Accedit, quod lampadem ipſe baptizatus accendebat apud Nazianzenum: cum autem Papiſtas cereus accenſus tradatur in manus baptizati.

XXXVI Tertio, obſeruamus eorum rituum partem eſſe abſq; vllo prorſus in Scripturis veſtigio, partim è Scripturis occaſionẽ habuiſſe; quod vix dicas vtro maiore peccato. Alieni prorſus à Scripturis ſunt crucis ſignũ. Sal, Aquæ conſecratio, abſtinentia carnium, vinique & vxoris. Quorum ne audaciſſimi quidem Papiſtæ potuerunt vel veſtigia notaſſe in libris Canonicis. Vnde coniectura facilis, exercuiſſe ſe otioſe curioſos quoſdam, luſiſſeq; in rebus non ſuis, ſed Dei, ſuas adinuentiones obtrudentes Eccleſiæ, atque ita facilitate plebis abutentes; contra quam oportuit.

XXXVII. A Scripturis Exſufflatio, Exorciſmus, Vnctio, Sputum, Veſtes candidæ. Nam Chriſtus inſufflauit in Apoſtolos, Ioannis viceſimo. Et exorciſtas legimus Actor. 19. ac plerunq; alias ſpiritus immundos corporibus pulſos. Et Chriſtus dicitur ab vnctione: & Ioannis 9. facto luto ea ſaliua Chriſtus cœcum curauit; Marcique 7. mutum ac ſurdum, Apocalypſis 3. veſtimenta candida dantur vincenti. Denique cereos repetunt ex Virginibus decem, Matth. 25.

XXXVIII. Hic vero luſusne, an quid peius? Nam, quæ ratio perſuaſit quicquid alicubi occurrerit dictum, factum in Scripturis, id transferre ad Sacramenti, & huius Sacramenti celebrationem? Quis quenquam ſperaſſet tam audacem, vt primus induceret in animum: quis quenquã tam ſtupide Chriſtianum, vt ſibi perſuaderi pateretur? Certe odimus qui baptiſmo ignem addunt; quanquam habeant, Matth. 3. Chriſtum baptizaturũ Spiritu & igni. Et ij tolerentur qui longe leuiori prætextu corradunt ex Scripturis quod libet? Et, quæſo, cur qui ſputum amauere, non etiam lutum habuere in deliciis? Cur qui inſufflationem in baptiſmo eſſe iuſſerunt; in ordinatione reſpuerunt; vbi tamen à Chriſto adhibitam eſſe volunt? Breuiter dico, illa omnia in Scripturis legi, ſed neq; ad baptiſmum pertinere, neque ad baptiſmi celebrationem: ſed vt plurimum ad miraculorum patrationem, quorum ratio alieniſſima à Sacramanto.

XXXIX. Quarto: Rationes quam futiles ſunt! quam inanes! quam pueriles! Chriſtianus dicitur à chriſmate: *Ergo* in baptiſmo chriſma adhibendum. Primo, falſum ponunt. Nam Chriſtiani dicuntur à Chriſto, *ſicut Platonici à Platone*, inquit Lyranus in Actor. 11. Iuſtus Orgelitanus in Cantica, *Quicunq; Chriſtiani, à Chriſto nominantur.* Theofridus Abbas ſermone de Veneratione Sanctorum *Chriſtiana religio vocabulum trahit à Chriſto.* Et olim maius nomen Athanaſius contra Arianos diſput. 2. οὐδὲ πώποτε λαὸς ἀπὸ τῶν ἐπισκόπων ἔσχε τὴν ἐπωνυμίαν, ἀλλὰ ἀπὸ τοῦ κυρίου, εἰς ὃν καὶ τὴν πίστιν ἔχομεν· τῶν γοῦν μακαρίων ἀποστόλων διδασκάλων ἡμῶν γενομένων, καὶ διακονησάντων τοῦ κυρίου τὸ εὐαγγέλιον, οὐκ ἐξ ἐκείνων ἐκλήθημεν, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ Χριστιανοί ἐσμεν καὶ ὀνομαζόμεθα, *Nunquam populus ab Epiſcopis ſuis, ſed à Domino, in quem creditum fuit, nomen accepit. Certe à beatis Apoſtolis præceptoribus noſtris, miniſtriſq; Euangelij Saluatoris noſtri, appellationes adepti non ſumus, ſed à Chriſto, Chriſtiani & ſumus & nuncupamur.* Hoc verum etymon. Sed à chriſmate Chriſtus. Ita eſt, inquam: non tamen à chriſmate Chriſtianos: quomodo ἀπὸ τοῦ Πλάτωνος Plato, nec tamen ἀπὸ τοῦ Πλάτωνος Platonici.

XL. Et tamen eſto ſanè: quid tum? A chriſmate Chriſtiani: *Ergo* in baptiſmo chriſma vſurpari oportet. Cuiuſmodi hoc genus conſequentiæ? Nam à chriſmate Chriſtus: & tamen in eius baptiſmate nullum eſt adhibitum chriſma.

XLI. Chriſtiani lucem oportet lucere: Ergo baptizato dandus cereus. Chriſtianus non debet putrefieri vermibus peccatorum; oportet igitur ſalem præberi. Saliua à capite deſcendens in os, ſapientiam ſignificat: Ergo nõ debuit ſine ſaliua baptiſmus celebrari. Quid plura colligam? nam omnia ſunt eiuſdem farinæ. Enimuero ſaliua, quo autore ſapientiam ſignificauit? An ſufficit quia deſcendat à capite? Atqui etiam narium purgamenta. Tum autem deſcendit vt excrementum; & vt eiiciatur: iſtane prudentiæ conuenire? Sed aperiri nares ſaliua; & aperiri vt bonum odorem percipiant; quis vidit, quis audiuit, quis naturæ tam diligens perſcrutator, vt obſeruarit, aut tradiderit: Deniq; ſaliua oculi aperti, lingua etiam ſoluta, Sed Chriſti ſaliua. Cur non ſubſiſtis; & ab ea ad cuiuſq; hominis ſaliuam expatiaris?

XLII. Exorciſmus profecto aſſumi non potuit, niſi ab iis qui de induſtria neſcirent quid ſit exorciſmus. Accepiſſe Eccleſiam à Deo poteſtatem coercendi dæmones per exorciſmos, teſtes multos Bellarminus laudat, & Vaſques: Iuſtinum in Dialogo cum Tryphone: Tertullianum de Corona militis, & ad Scapulam; & in Apologetico: Cyprianum ad Demetrianum: Minutium in Octauio: Lactantium lib. 1. c. 16. alios. Fuiſſe etiam ordinarium officium, conſtare ex Concilij Antiocheni, cap. 10. Carthaginenſis quarti 7. Laodicei 29.

XLIII. Varie peccatur. Primo, quis ait Eccleſiam accepiſſe? Siccine, vt dicimus, accepiſſe Baptiſmum, Euchariſtiam; poteſtatem ligandi & ſoluendi? Nempe hoc ſenſu, vt ea chariſmata publica ſint, & pertinentia ad ordinem Eccleſiæ. An vero, vt accepiſſe Prophetas, atq; Apoſtolos, dona linguarum atq; ſanationum? Videlicet, quia pauca quædam Eccleſiæ membra eam facultatem habuerint, & extra ordinem, quanquam ad Eccleſiæ vtilitatem. Nam poſterius ſi dicunt: concedemus facile: alterum negabimus vt falſiſſimum: quia exorciſmus erat inter dona miraculoſo: quæ nunquam ordinaria. Itaq; Clemens Conſtitutionum c. 18. 27. ἐπορκιστὴς οὐ χειροτονεῖται· εὐνοίας γὰρ ἑκουσίου τὸ ἔπαθλος, καὶ χάριτος θεοῦ διὰ Χριστοῦ ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος· ὁ γὰρ λαβὼν χάρισμα ἰαμάτων δι' ἀποκαλύψεως ὑπὸ θεοῦ ἀναδείκνυται, φανερᾶς οὔσης πᾶσι τῆς ἐν αὐτῷ χάριτος, *Exorciſta non fit ordinatione. Eſt enim liberæ voluntatis præmium, & gratia diuina per Chriſtum & aduentum Spiritus Sancti. Siquidem qui donum accepit ſanitatum, per reuelationem declaratur à Deo, cum gratia quæ in eo eſt, ſit in omnibus manifeſta.* Vnde manifeſta deceratio eorum qui exorciſtas accenſuerunt ordinibus Eccleſiaſticis.

XLIV. Deinde fallunt æquiuocatione. Nam Exorciſtæ non dicti quicunq; in ſpiritus immundos poteſtatem habuerint: ſed qui ex corporibus obſeſſis pepulerint, vt patet Actor. 19. quo vno loco *Exorciſtæ* nominantur in ſacris libris. Nec vnquam expulſio dœmonum aliter intelligitur in iiſdẽ. Itaq; Alcuinus de diuinis officiis, cap. 94. *Exorciſtæ erant, qui exorciſmis, id eſt, adiurationibus à Salomone compoſitis* (hoc habuit à Ioſepho) *dæmones ab energumenis effugabant: quales leguntur in Actibus Apoſtolorum fuiſſe ſeptem filij Sceuæ.* Capite 36. *Exorciſmus Græce, Latine dicitur ſermo adiurationis ſiue interpretationis, & inde exorciſta, adiurator. Illorum officium eſt, vt ponant manus ſuper dæmoniacos, & per inuocationem nominis Dei repellant dæmones* Amalarius Fortunatus de Eccleſiaſticis officiis libr. 1. c. 9. *Quando ordinatur accipit libellum, in quo ſcripta eſt exorciſatio; & audit ab Epiſcopo, vt habeat poteſtatem manum imponendi ſuper energumenum.* Iſidorus de Eccleſiaſticis officiis libri 2. cap. 13. *Accipiunt de manu Epiſcopi libellum in quo ſcripti ſunt exorciſmi, accipientes poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſiue baptizatos, ſiue catechumenos.*

XLV. Sic igitur olim contracta fuit poteſtas ad energumenos; id eſt, eos, quorum dæmon occupabat corpora. Itaque numeratum chariſma fuit inter miraculoſa dona. Iſidorus ibidem, *Exorciſtas memorat Apoſtolus; cum dicit, Nunquid omnes habent donationes ſanationum?* Vnde mens patet Clementis paulo ante citati.

XLVI. Sed immutata poſtea definitio eſt, & inflexa ad vſum ſubſequutum. Rabanus inſtitutionis lib. 1. c. 10. Ἐξορκισταὶ *ex Græco in Latinum adiurantes ſiue increpantes vocantur. Inuocant enim ſuper catechumenos, vel ſuper eos qui habent ſpiritum immundum, nomen Domini Ieſu, adiurantes per eum vt egrediantur ab eis.* In ſermone de excellentia ſacrorum Ordinum, *Sequitur ordo exorciſtarum, qui ſuper catechumenos faciunt Sacramenta apertionis, & habent ſpirituale imperium ſuper ſpiritus immundos ad eiciendos eos de corporibus obſeſſis.* Viden mutationem? Primis Exorciſtis imperium erat in energumenos, ſiue ii baptizati eſſent, ſiue catechumeni: Poſterioribus geminata iuriſdictio, in energumenos. Credo ita factum, ne eſſent κωφὰ πρόσωπα, vel potius locum occuparent nuda nomina in Eccleſiæ hierarchia.

XLVII. Sed hinc iam manifeſta fraus eſt. Accepit Eccleſia poteſtatem in dæmones: *Ergo* baptizandi ſunt exorcizandi. Negatur, inquam, conſequentia. Nam accepit eadem Eccleſia poteſtatem ſanandi morbos: nec tamen baptizandi ſunt vngendi oleo illo extremæ Vnctionis, quam vocarunt iidem, qui exorciſmos nolunt antiquatos. Nimirum quia tum non omnes baptizandi ægrotant: tum etiam ſi ægrotarent, non hoc tamen agatur in baptiſmo, vt morbi curentur. Quæ ratio hic valet etiam. Nam nec omnes baptizandi, ſunt dæmoniaci, ſiue energumeni: & ſi eſſent quidam; non tamen hoc baptiſmus agit, vt corpora liberentur hac peſte.

XLVIII. Itaque longe olim prudentius; apud Clementem Conſtitutionum 7. cap. 32. ἐὰν δέ τις δαίμονα ἔχῃ, διδασκέσθω μὲν τὴν εὐσέβειαν, μὴ προσδεχέσθω δὲ εἰς κοινωνίαν πρὶν ἂν καθαρισθῇ, *Si quis dæmonem habeat doceatur quidem pietatem, ſed non admittatur ad communionem priuſquã mundetur: ſi tamen mors inſtet, admittatur.* Sic enim diſtinguebantur exorcitandi baptizandiq; munia, & tamen per accidens concurrebant. Sed nimia profecto fuit imprudentia; exorciſmum & produci ad eos omnes, quibus ſanum corpus, & lege perpetua baptiſmo copulari. Nam cur non etiam Euchariſtia, cui non magis apti Energumeni quam baptiſmo.

*FINIS LIBRI QVINTI.*